AUTHOR:

HAHNE, LUDWIG

TITLE:

DE FANO APOLLINIS...

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1872

Master Negative #

92-81149-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hahne, Ludwig
Dissertation
De fano Apollinis Delphico
Göttingen 1872

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-3-93 INITIALS m.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

De fano Apollinis Delphico

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

Amplissimi Philosophorum Ordinis

in

Academia Georgia Augusta

ad summos in philosophia honores

rite capessendos

scripsit

Ludovicus Hahne

Hannoveranus.

Gottingae.

Typis expressit officina Hoferiana.

1872.

Viris amicissimis

Friderico Karwehl

Carolo Blume.

De celeberrimo fano Delphico quamquam multi vel docte disseruerunt vel eleganter judicaverunt, nemo tamen exstitit, qui omnia, quae intra sacrum peribolum fuisse ab veteribus tradita sunt, ea, qua par est, cura in unum congesta oculis subjicere sibi proposuerit. Itaque operae pretium esse mihi visus tale consilium capere, spero, etiamsi multum novi non afferam, me excusationem esse habiturum, si in rebus, quae ad fanum illud clarissimum pertinent, examinandis studium posuero.

I.

Constat veterum populorum, in primis Graecorum, moris fuisse, ut pietate erga deos commoti, ne templa propinquitate profanarum rerum violarentur, loca, quae circum ea jacebant, muris saepirent. Quae loca plerumque *ἡ αὐλή, τὸ τέμενος, τό ἕρκος* et quae sunt similia, saepimenta ipsa *ὁ περίβολος* sive *θριγκός* nominantur, (cf. Poll. I, 19: *οἱ δ' ἀνειμένοι θεοῖς τόποι, ἄλση τε καὶ τεμένη καί ἕρκη· καὶ ὁ περὶ αὐτα κύκλος περίβολος*), quamquam voces *τέμενος* et *περίβολος* ab nonnullis scriptoribus ita etiam usurpantur, ut idem significantes ad totum locum muro saeptum referendae sint (cf. Harpocrat. p. 76: *τὸν γάρ περίβολον ἕρκος ἔλεγον.* Wieseler: gött. Stud. 1845. p. 216 et Jahn, Jahrb. 75, p. 668.) Errat igitur Kayserus (Delphi p. 123. Anm. 20.), cum putat, aliquid interesse inter verba *τέμενος* et *περίβολος* et id quidem, ut illud ad totum campum deo consecratum, hoc ad partem ejus muro saeptam sit revocandum.

Omnes igitur res, quae intra saepimentum erant, deo consecratae erant neque ullum hominem nisi sacerdotes vel aedituos ibi habitare erat fas (cf. Paus. I, 27. 3. X. 32. 12.) Quanta vero amplitudine illae templorum areae interdum fuerint, ex eo perspici potest, quod non raro evenit, ut parvas silvas montesque complecterentur (cf. Paus. II. 11. 6.)

Sed inter omnia Graecorum fana primum locum habuisse fanum Apollinis Delphicum veteres ipsi tradunt. Cujus rei causa posita erat in celeberrimo oraculo, ad quod consulendum ex omnibus fere terrae regionibus homines Delphos veniebant et quum omnes, qui deum consulturi essent, donaria secum portarent, factum est, ut magna anathematum artisque operum multitudo ibi congereretur.

Hoc Apollinis fanum supra Delphos urbem in Parnasso situm amplo muro, cujus reliquiae hoc saeculo repertae sunt, circumdatum fuisse Pausanias narrat: X. 9. 1.: *Δελφοῖς δὲ ἡ πόλις ἄναντες διὰ πάσης παρέχεται σχῆμα· κατὰ τὰ αὐτὰ δὲ τῇ πόλει τῇ ἄλλῃ καὶ ὁ ἱερὸς περίβολος τοῦ Ἀπόλλωνος· οὗτος δὲ μεγέθει μέγας καὶ ἀνωτάτω τοῦ ἄστεώς ἐστι.*

In epigrammate etiam, quod Persis fugatis tropaeo a Delphis statuto inscriptum Simonides Ceus composuisse fertur, fanum illud commemoratur his verbis: (Diod. XI, 14.):

Μνᾶμα τ᾽ ἀλεξάνδρου πολέμου καὶ μάρτυρα νίκας
Δελφοί με στᾶσαν Ζανί χαριζόμενοι
Σὺν Φοίβῳ πτολίπορθον ἀπωσάμενοι στίχα Μήδων
Καὶ χαλκοστέφανον ρυσάμενοι τέμενος

Hoc loco existit quaestio subdifficilis, quid poeta vocabulo „*χαλκοστέφανον*“ declarare voluerit. Neque enim murum aere factum intelligi posse, neminem fugiet. Si autem nonnulli verbum „*χαλκοστέφανον*“ sensu translato ad muri firmitatem pertinere putaverunt, eos in magnum incidisse errorem censeo. Scimus enim tantum abfuisse, ut muri, quibus fana circumsaepiebantur, valida ac firma munimenta praeberent, ut nihil aliud essent nisi saepimenta (cf. Just. hist. XXIV, 6: „Templum et civitatem non muri, sed praecipitia nec manu facta sed naturalia praesidia defendunt“.) Herodotus quidem VI. 134. murum, quo fanum Cereris Parium erat circumdatum, appellat „*αἱμασίαν*‘, i. e. *τὸ ἐκ χαλίκων ᾠκοδομημένον τειχίον*. cf. Bekker an. I, p. 366. 6. Herod. I, 180. et notam a Steinio additam. Paus. VII. 21. 5. VIII. 30. 2. Accedit, quod propter sententiam, quae epigrammati subjecta est, fanum firmis munimentis esse munitum credi non potest. Dicit enim poeta, deorum ipsorum auxilio non muro fanum esse servatum. Quibus de causis Wieseler pro: „*χαλκοστὲφανον*“ jure ac merito scribi vult „*χαλικοστέφανον*“ (cf. de Leutsch philologus XXI. p. 275.) Ut enim jam supra diximus, muri fanorum parvis lapidibus, qui *χάλικες* vocabantur, exstructi erant. Et quoniam hoc loco soli dei fanum servasse dicuntur, ut hoc ipsum expressis verbis indicetur, „*τέμενος χαλικοστέφανον*“ a poeta appellatur ideoque hoc epitheton ad sensum totius loci accomodatissimum est; *χαλκοστέφανον* autem, cum ad aheneas periboli statuas nullo pacto referri possit, explicatum habet nullum.

Restat, ut nonnulla de exteriore muri forma dicamus. Mirum enim est, quod cum in aliis fanis unum esse exitum mos esset ac fas, (cf. Serv. ad Aen. IV, 200.) in Delphico fuisse plures Pausanias affirmat: X. 9. 1: *τέτμηνται δὲ καὶ ἔξοδοι δι᾽ αὐτοῦ συνεχεῖς*. Cujus rei causam eam, quam Kayserus l. c. p. 22. affert, rectam non esse facile intelligitur.

II.

Quoniam de fani saepimento dictum est, aggrediar jam ad res describendas, quae intra id fuisse traduntur Inter quas ante omnia mentio facienda est anathematum, de quibus in universum disputavit Boetticher in libro, qui inscribitur: Tektonik der Hellenen II. 4. 24. seq. Eorum magnam multitudinem cum complector animo, quattuor potissimum genera invenio, statuas, tripodes, instrumenta, aedificia. De hisce omnibus rebus me dicere oportet (cf. de Donop: de variis anathematum Delphicorum generibus). Quo quidem in numero statuae primum locum obtinent. Quamquam enim fanum Delphicum diversissimis temporibus saepe pulcherrimis statuis est spoliatum, tamen sua

aetate amplius tria milia fuisse Plinius narrat. N. H. XXXIV, 7. 7. Sed si nobiscum reputamus, quomodo fieri potuerit, ut Delphis tanta statuarum vis accumularetur, ante omnia non obliviscendum est, Apollinis fanum Delphicum fuisse fanum omnium Graecorum commune, quo ornando praesertim cum unicuique civitati certus locus ad statuas ponendas tributus fuisse videatur, aliae alias civitates superare studebant. . Fuerunt enim ibi statuae ex aere et marmore elaboratae atque saepe auro ornatae. Itaque mirari non possumus, quod, cum peribolus in Parnasso situs jam procul cerni posset, Brennus, qui Gallos ad Delphos diripiendos adducebat, spectatis statuis et statuarum symplegmatis et quadrigis, fanum expugnandi summo studio afficiebatur. cf. Just. hist. XXIV. 7: Delphorum sociorumque non nisi quattuor milia militum, erant, quorum contemtu Brennus ad acuendos suorum animos praedae ubertatem omnibus ostendebat statuasque cum quadrigis, quarum ingens copia procul videbatur, solido auro fusas esse plusque in pondere quam in specie habere praedae affirmabat. cf. Polyaen. III. 35. 2. Idem de Persis narrat Herodotus VIII. 37: ἐπεὶ δὲ ἀγχοῦ τε ἦσαν οἱ βάρβαροι ἐπιόντες καὶ ἀπώρων τὸ ἱερόν.

Quoniam de statuis in universum diximus, jam ad singulas describendas aggredimur. Quum vero multitudo statuarum sit permagna et Pausanias, quem in primis ducem sequimur, paene nihil tradat nisi enumerationem, satis esse mihi videtur, quod praeclarissimis tantum artis operibus accuratius tractatis ad Pausaniam ipsum, qui X. 9—19. omnes narratu dignas et ad suam aetatem conservatas commemorat, delegamus. Attamen monendum est, complurium anathematum, quamquam nullum ad nostram aetatem pervenit, veram speciem capere nos posse. Nam haud raro accidit, quod civitates imagines anathematum Delphos permissorum nummis imprimebant, et hi quidem magnam partem adhuc integri exstant.

Ac primum de statuis, quas Tegeatae Lacedaemoniis victis dedicaverunt, pauca mihi dicenda sunt. Effecti enim erant Apollo et Victoria et, ut equidem sentio, ita, ut deus a dea apposita coronaretur. Tum circum Apollinem, qui medium symplegmatis

locum obtinebat, positae erant statuae fortasse paullo minores Callistus heroinae, Arcadis herois, qui „ἐπωνυμός" Arcadiae erat, ejusque filiorum Elati, Apheidae, Azanis, denique Triphyli ejusque filii Erasi. Quas omnes statuas summa arte factas et admiratione fuisse dignas, nomina artificum, qui elaboraverunt, satis superque probant, Pausaniae Apolloniatae, Antiphanis Argivi, Daedali Sicyonii, Samolae Arcadis. Omnes enim quattuor circa olympiadem centesimam summa laude statuarum faciendarum floruerunt. cf. Mueller, Hdb der Archäol. 124. 1 112. 1. Brunn Geschichte der griech. Künstler I. p. 283.

Neque minus admiratione dignae videntur fuisse statuae, quas ab Plutarcho (de Pyth. or. 2.) „ναύαρχοι" nominatas Lacedaemonii postquam pugna navali ad Aegospotamum flumen commissa Athenienses, quibuscum septem et viginti annos bellum dubium atque anceps gesserant, devicerunt, ad monumentum gloriae suae relinquendum Apollini dedicaverunt. Repraesentati enim erant et homines, quorum consilio fortitudineque victoria erat parta et dei, qui rebus Lacedaemoniorum favisse dicebantur. cf. Paus. X. 9, 7—11. Mueller l. c. 112. 1.

Quarum statuarum compositio petita esse videtur ab illo praeclarissimo anathemate, quod Athenienses post victoriam Marathoniam de Persis reportatam Phidia auctore Delphos miserunt. cf. Paus. X. 10. 1. E Curtius Berichte der gött. Gesellsch. der Wissensch. 1861. N. 21. p 569. Nam praeter heroum signa, qui potissimum ab Atheniensibus colebantur, Miltiadis, cujus consilio operaeque maximam partem victoria debebatur, et Minervae et Apollinis simulacra posita fuisse Pausanias narrat. Summa vero admiratione omnes, qui illa opera cernerent, affectos esse, si consideraverimus, Phidiam ipsum, summum fortasse Graecorum artificem, fuisse fabricatorem, facere non poterimus, quin credamus.

Prope Atheniensium anathemata Argivi illorum septem ducum, quos Thebanis bellum intulisse fama ferebat, statuas posuerunt. Quarum potissimum Amphiarai admiranda fuit, cum praeter ipsum currus et Bato auriga ejus repraesentati essent.

Similis ejus artificii effigies invenitur apud Wieselerum Denk. d. a. K. I. 19. 98.

Deinde memorabilia videntur anathemata, quae Cnidii dedicaverunt, statua Triopae, insulae conditoris, qui prope equum constitit, tum Latonae ejusque liberorum Apollinis et Dianae, qui Tityum gigantem, Terrae filium, quoniam Latonae matri a Panopo Delphos proficiscenti insidias parasset, sagittis interficiunt. cf. Paus. X. 11. 1. Quod saepius ab artificibus effictum esse diversissimis monumentis declaratur, veluti throno Apollinis qui dicitur Amyclaei, deinde vase, quod Wieseler Denk. II. 13. 146. exprimendum curavit. Nec minus dignae erant, quae spectarentur, statuae Apollinis et Herculis de tripode Delphico inter se certantium a Phocensibus donatae. Illum Latona et Diana, hunc Minerva a mutuis injuriis prohibere student. Paus. X. 13. 7. Cujus rei duas similes imagines videas apud Wieselerum l. c. I. XI. 41. I. 18. 95. cf. Welcker alte Denk. II. tab. XV, 29. Franz Passow: Hercules der Dreifussräuber anf Denkmalen alter Kunst in Böttiger's Arch u Kunst. p. 125.

Neque praetereundum videtur permagnum Apollinis simulacrum, quod Amphictyones, postquam Phocenses, qui terram deo sacram coluerant, victi sunt, ex praeda hostium Delphis exstruxerant. Hoc enim simulacrum Apollinis, qui Σιτάλκας nominabatur triginta quinque cubita altum erat. Paus. X. 15. Diod. XVI. 33. 59. Quod egregium artis opus, quamquam usque ad nostram aetatem non pervenit, tamen qua forma fuerit, cum nummus, qui effigiem illius simulacri praebet, conservatus sit, cogitatione nobis fingere possumus. cf. Cavedoni, spic. mumism. p 80. Ch. Lenormant, annali del inst. arch. vol. XIX. p. 365. Anmerkung. Wieseler Denk. II. 12. 134b. Mionnet, description de medailles antiques II, 96.

Mirabili quoque aspectu fuit illud monumentum, quod Cyrenaei, ut Battum, conditorem reipublicae, honorarent, Delphis posuerunt. Paus. X. 15. 6. Battus enim, qui curru a Cyrena dea recto vehitur, a Libya dea juxta eum in curru collocata coronatur. Cui artis operi simile fuit alterum, quod eidem Cyrenaei dedicaverunt, simulacrum Ammonis. cf. Curtius l. c. p. 364.

In hoc etiam deus curru vehitur, quod Cyrenaei artis currus gubernandi peritissimi videri volebant. Et nescio an erremus, si suspicemur, currum ejus generis fuisse, quod in nummis Cyrenaicis invenitur. cf. L. Mueller, numismatique de l'ancienne Afrique I. p. 68 et 74.

Tum Herodotus VIII, 121. narrat, Graecos post victorias ad Artemisium et Salamina de Persica classe reportatas signum duodecim cubita altum, quod rostrum navis hostilis manu tenebat, Delphos permisisse. Quod etsi Apollinis fuisse non dicit, tamen homines docti idem esse, quod Pausanias X. 14. 5. commemorat, recte judicaverunt.

Deinde Macedones signum Apollinis dedicaverunt, (Paus. X. 13. 3.) quod ita factum erat, ut deus cervam, animal ei gratissimum, caperet. Quo modo illud signum fuerit comparatum, docetur gemma apud Wieselerum descripta I, 15. 61. Denique inter Apollinis signa illud, quod ὁ Ἀπόλλων ὁ μικρός nominatur et primum omnium anathematum Delphicorum Echecratidas Larissaeus donasse fertur, commemorandum est. Paus. X. 16. 8. Quod anathema, qua forma fuerit, si statuam parvam, quae plerumque Apollo Polycraticus nominatur et quae sunt similes, contulerimus, cogitatione invenire possumus. cf. Wieseler, Denk. I. 9. 22.

Aliud anathema idemque commemoratu dignum ab Atheniensibus post victoriam ad Eurymedontem partam Delphis est positum Paus. X. 15. 4. Plut. Nicias 13. Palmam enim aheneam multis pomis ornatam atque Minervae simulacrum inauratum, quae ululis, animalibus sacris, stipata hastam gerebat, dedicaverunt. Quod anathema, cum Athenienses expeditionem in Siciliam essent facturi, magna corvorum multitudine turpiter est devastatum, tamquam si dea malo omne civitatem carissimam, ne coeptum perficeret, monere voluisset. Utrum autem Minerva juxta palmam an in cacumine ejus locum habuerit, magna inter homines doctos dissensio fuit. cf Boetticher Tektonik II. 4. 31. Baumcultus p. 212. Curtius l. c. p. 171. Sed in culmine arboris eam fuisse, Schubartus (arch. Zeitg. 1862. p. 233 seq.) gravissimis causis ita firmavit, ut ne cogitari quidem possit, rem

aliter sese habuisse. cf. Dethier et Mordtmann, Epigraphik von Byzantion und Constantinopolis, Wien 1864. p. 42.

Nec minus mirabilis est illa statua, quae fuit donum Aetolorum. Gallis enim, qui Brenno duce cum reliquam Graeciam tum Aetoliam devastaverant, devictis, Aetoli feminae statuam armis tropaeisque ornatam, quae terram Aetolicam repraesentaret, donaverant. Paus. X. 18. 7. Cujus statuae effigiem in nummis aliquot conservatam videas apud Mionnetum l. c. suppl. III. p. 475 et planch. XV. cf. Wieseler l. c. I, 54. 268. II, 15. 165.

Enumeravimus deorum hominumque statuas arte clarissimas; nunc breviter exponamus de aliquot operibus, quae ad animalia pertinent. Neque enim raro fieri solebat, ut civitates animalium imagines, quibus excellebant aut quae aliquo modo reipublicae utilia fuerant, in Delphico fano collocarent. Quorum animalium imagines plerumque in nummis civitatium expressas habemus. Velut Corcyraei aheneum taurum consecraverant, quia eo duce magnam piscium multitudinem ceperant. cf. Paus. X. 9. 3. Mionnet l. c. II, 68. 71. suppl. III. p. 427. 428. 430. 434. Plataeenses et Carystii, quia Pausania teste taurus pertineret ad agriculturam; tauro enim consecrato cives Apollini gratias agere volebant, quod hostibus fugatis rura bobus suis libere exercere sementemque facere possent cf. Paus. 15. 1. 16. 6. E. Curtius l. c. p. 367., arch. Zeitg. 1860. p. 37. Mionnet l c. II. 302. 303. Eckhel doctrina numorum veterum II, 322. Ob similem causam Ambraciotae aheneum asinum donaverunt, hujus enim animalis rugitu Molossi hostes territi et in fugam versi sunt. Paus. X, 18. 4. Phocenses leonem aheneum ad memoriam vitoriae de Cassandro reportatae Delphos miserunt Paus. X. 18 7. Praeterea autem saepius equi ahenei dedicabantur (X. 10. 6. 18. 1. 15. 4.) velut ab Tarentinis (cf. Eckhel l. c. I. p. 146.) et Thessalis, quos equitatu eminuisse constat. cf. Mionnet suppl. III. pl XII ; nam Philippum non ob aliam causam Thessaliae occupandae magis flagrasse cupiditate, quam ut exercitui suo robur Thessalorum equitum adjungeret, (cf. Eckhel II. 132.) inter omnes notum est. Hoc loco memorare liceat

anathema Metapontiorum, qui cum agricultura florerent, Strabone teste (VI. 264: χρυςοῖν θέρος) auream messem Delphis dedicaverunt, quod et factum a Myrrhinaeis et Apolloniatis refert Plutarchus (de Pyth. orac. p. 401). Quam ob rem spica nummis illarum civitatium typus fere proprius fuit. cf. Eckhel I. 154. 155

Postremo illius anathematis, quod Delphi ipsi consecraverunt, lupi ahenei, mentio fiat. cf. Paus. X. 14. 7. Aelian. hist. XII., 40. Quod anathema quid significet, quamquam docti homines inter se dissentiunt, in universum quidem Ulrichsius (Reisen und Forschungen I. 62 seq.) et Wieseler (gött. gel. Anz. 1847. p. 1837) recte judicasse videntur, qui suspicentur, lupum esse referendum ad hominem, qui scelere commisso ab Furiis agitatus auxilium et expiationem ab Apolline petat.

Deinceps ut erat propositum de tripodibus dicatur, quorum magnam multitudinem Delphis fuisse constat (cf. Wieseler über den delphischen Dreifuss, Abhandlg. der königl. Ges. d. Wiss. zu Göttingen 1871). Tria enim tripodum Delphicorum genera esse statuenda Wieseler demonstrat; (cf. p. 9.): tripodem illum, in quo Pythia vaticinandi causa sedere solebat, tripodes, qui pro anathematis dedicati essent, tripodes, qui in numerum mensarum Delphicarum essent referendi. Sed cum de tripode, quem in adyto positum fuisse constat, infra disputare nobis propositum sit, jam alterum tripodum genus breviter tractabimus. Fieri enim solebat, ut is, qui ludis Pythicis victor discessisset, tripode donaretur donatumque ad Apollini, qui victoriam tribuisse putabatur, gratias agendas Delphico fano consecraret. Huc accedit, quod tripodes, qui Apollini omnino essent sacri, propter alias quoque causas deo donabantur cf. Curtius l. c. p. 364. Quo factum est, ut ingens tripodum multitudo Delphis cumularetur nec mirum est, quod omnes tripodes, qui dedicabantur, omnino Delphici vel Pythici nominabantur. cf. Wieseler. l c. p. 55.

Sed ex omnibus illis tripodibus Delphicis unus maxime dignus est, quem commemoremus, aureus ille, quem omnes Graeci post victoriam apud Plataeas de Persis Pausania duce partam ex decima praedae parte Apollini dedicabant. Cujus in basi Pausa-

nias, rex Lacaedomiorum, epigramma a Simonide poeta compo-
situm inscripsit, quo rex solus celebraretur; postea autem loco
epigrammatis nomina omnium civitatium Graecarum, quae contra
Persas pugnaverant, insculpta sunt. Sed per longum tempus il-
lud magnificum anathema non mansit integrum. Phocenses enim,
ut alia pretiosa anathemata Delphica, ita hujus etiam tripodis
aureas partes abripuerunt (cf. Herod. IX. 81: *συμφορήσαντες
δὲ τὰ χρήματα καὶ δεκάτην ἐξελόντες τῷ ἐν Δελφοῖσι θεῷ,
ἀπ' ἧς ὁ τρίπους ὁ χρύσεος ἀνετέθη ὁ ἐπὶ τοῦ τρικαρήνου
ὄφιος τοῦ χαλκέου ἐπεστεώς.* cf. Thuc. I, 132: Paus. X. 13.
9: *ἐν κοινῷ δὲ ἀνέθεσαν ἀπὸ ἔργου τοῦ Πλαταιαῖσιν οἱ Ἕλ-
ληνες χρυσοῦν τρίποδα δράκοντι ἐπικείμενον χαλκῷ ὅσον μὲν
δὴ χαλκὸς ἦν τοῦ ἀναθήματος, σῶον καὶ ἐς ἐμὲ ἔτι ἦν· οὐ
μένιοι κατὰ τά αὐτὰ καὶ τὸν χρυσὸν οἱ Φωκέων ὑπελίποντο
ἡγεμόνες.*) Ahenea autem basis, quae formam tricipitis ser-
pentis habebat, quam posteriore aetate imperator Constantinus
in hippodromo Constantinopolitano posuerat, nostris temporibus
reperta est. Si enim qui dubitaverunt, sitne monumentum Con-
stantinopolitanum idem, quod Graeci dedicaverant, (cf. Curtius l.
c. p. 374), ei recte non judicaverunt. cf. Frick, das plataeische
Weihgeschenk, Jahrb. f. klass. Philol. 1859; arch. Zeitg. 1856.
p. 217. 1862. p. 349. 1865. p. 56. Dethier et Mordtmann,
Epigraphik von Byzantion u. Constantinopel. Wien 1864. Wie-
seler Jahrb. f. Phil. 1864. p. 258 et: der delph. Dreifuss p.
90. Anmerkung 60.

De tertio genere tripodum, de mensis Delphicis, quae di-
cebantur, fusius disputavit Wieseler l. c. p. 53.

Tertium genus anathematum erant instrumenta ad cultum
dei apta, vasa, pocula, crateres, turibula, vestimenta, peripetas-
mata et quae sunt similia, quorum praestantissima reges Asiae
minoris, Gyges, Croesus, Alyattes Delphos miserant (cf. Herod.
I, 14. 25. 50. Quanta vero arte pulchritudineque nonnulla pe-
ripetasmata Delphica fuerint, ex verbis Euripidis poetae cognos-
citur, qui (Jon. 1135 seq.) illud describit, quod fuit „*Ἀθηναίων
τινὸς ἀνάθημα*“.

Quo in anathematum genere habenda sunt arma vel hosti-

bus erepta vel pretiosis metallis facta, quae ut in aliis fanis, ita in fano Delphico suspendebantur. Velut Herodotus (VIII, 37.) narrat, in adyto fuisse arma, quae tangi nefas habebatur, Pausanias (X. 19. 3) arma aurea suspensa fuisse in epistyliis templi Apollinis, quae partim Athenienses, partim Aetoli Gallis victis consecrassent.

Deinde ara illa a Chiis donata commemoranda est (cf. Herod. II. 135). Quam aram eandem esse, quae ab Pausania (X. 14. 4.) *ὁ βωμὸς μέγας* et ab Euripide (Jon. 1275. 1306. 1314.) *βωμός*, (1280) *βωμὸς θεοῦ* nominatur, plane intelligi potest ex verbis Herodoti: *ἀντίον δὲ αὐτοῦ τοῦ νηοῦ*, cum alteram aram prope templum fuisse non constet.

Restat, ut de quarto anathematum genere, de aedificiis dicamus. Quo in numero ante omnia sunt habenda, quae in universum thesauri nominantur. cf. Boetticher, Tektonik II. Bd. IV. Buch p. 18 seq. idem: über agonale Festtempel u. Thesauren, deren Bilder und Ausstattung in v. Leutsch phil. XVII. p. 3. 4. XVIII. p. 1. 3. 4. Ulrichs l. c. I. p. 61.

Ac primum quidem de nominibus horum aedificiorum id nobis est dicendum, quod certum vocabulum ad ea significanda apud scriptores non invenitur; usitatissimum quidem fuit vocabulum „*θησαυρός*“, quod ab Hesychio ita explicatur: *θησαυρὸς· εἰς ἀγαλμάτων καὶ χρημάτων ἢ ἱερῶν ἀπόθεσιν οἶκος.* Aliae voces sunt: *ταμιεῖον, χρηματοφυλάκιον, θησαυροφυλάκιον, γαζοφυλάκιον, οἶκοι, ναοί.* Velut Pausanias X. 13. 3. et Herodotus I, 14. thesaurum Corinthiorum *θησαυρόν*, Plutarchus (de Pyth. orac. 12) *οἶκον* nominat. Quod autem thesauri interdum „*ναοί*“ nominantur, eo factum esse videtur, quod in templis ipsis anathemata servari solebant

Deinde vero si quis quaerat, qua forma haec aedificia fuerint, facere non possumus, quin profiteamur, certi aliquid doceri non posse, cum neque ullum thesaurorum ab scriptoribus accurate descriptum neque ullius reliquias ad nostram aetatem servatas habeamus. Sed id saltem pro certo poni liceat, homines doctos, qui judicent, thesauros Delphicos fuisse cellas subterraneas atque similes illis regum Atrei et Minyae, in magnum incidisse erro-

rem. Nam ex reliquiis Orchomeni et Mycenis inventis plane apparet, illa aedificia, quae et ipsa thesauri appellantur, sepulcra fuisse regum atque hanc ob rem sub terra condita; illos autem thesauros Delphicos cum artificiorum pretiosorum essent receptacula, subterraneas cellas non fuisse, facile intelligitur. cf. Wieseler, neue Jahrb. f. Philol. u. Paedag 75. p. 672. Itaque verisimile nobis videtur, Boetticherum (l. c. IV, 19.), thesauros fuisse aedificia supra terram in loco aperto exstructa, tectis instructa, plurimis fenestris illustrata, recte esse suspicatum

Postremo thesauros eo consilio esse exstructos, ut anathematum receptacula essent, nobis commemorandum est. Quum enim multa anathemata propter materiam, ex qua facta erant, sub divo poni non possent, civitates, ne donaria violarentur, aedificia, quibus reciperentur, exstruere sunt coactae. Deinde in his thesauris instrumenta, quibus ad sacra facienda opus erat, crateres, pocula, peripetasmata fuisse videntur. cf. Eur. Jon. 1141: *λαβὼν δ' ὑφάσμαθ' ἱρὰ θησαυρῶν παρὰ κατασκίαζε.* Contra videmus, talia etiam opera, quae casu quodam laesa et mutilata fano jam non erant ornatui, in thesauros esse remota. Velut Herodotus I, 50. narrat, leonem a Croeso rege dedicatum, cum incendio templi aliquid detrimenti accepisset, in Corinthiorum thesauro fuisse positum.

Quibus expositis fortasse quis miretur, quod Pausanias narret, se cum thesauros intrasset, pretiosas res frustra quaesivisse X. 11. 1. Sed si cogitaverimus, Pausaniam fuisse secundo saeculo post Christum natum atque fanum Delphicum usque ad illud tempus pulcherrimis anathematis identidem esse privatum, scriptori fidem facile habebimus; antea autem omnes thesauros completos fuisse artis operum praestantissimorum quolibet genere, jam ex eo cognoscimus, quod Polemo periegetes librum conscripsit: *περὶ τῶν ἐν Δελφοῖς θησαυρῶν* cf. Plut. quaest. sympos. V, 2. p. 675. B. Preller Polemonis periegetae fragmenta. Weniger, quaest. Delph. specimen p. 22. cf Strabo IX, 419.

Civitatium autem Graecarum, quibus thesauri Delphis fuerunt, ab scriptoribus nominantur Athenienses Paus. X. 11. 4. Sicyonii X. 11. 1. Corinthii Her. I, 14. Paus. X. 13. 5. Thebani X. 11. 4. Siphnii Her. III, 57. Paus. X. 11. 2. Cnidii X 11. 4. Syracusani X. 11. 4. Clazomenii Her. I, 51. Plut. de Pyth. orac. XII. Acanthii Plut. Lys. 1. Spinetae, Strab. V, 214 Agyllaei (Strab. V, 220.) sive Caeretes, Massilienses Diod. XIII, 93. Potidaeatae Paus. X. 11. 5.

De thesauris hactenus; sed praeterea fuerunt in fano Delphico alia aedificia, quae in numerum anathematum sunt referenda, porticus illa Atheniensium, quam „*στοάν*" nominabant, (Paus. X 11. 5.) et Lesche illa, quae anathema Cnidiorum esse dicitur Paus, X. 25—30. Athenienses enim, cum Phormione duce praedam magnam Lacedaemoniis eorumque sociis eripuissent, porticum rostris et clypeis ornatam Delphis exstruxerunt, epigrammate inscripto, in quo omnes civitates, quarum terram devastaverant, enumerabantur.

Alterum vero aedificium a Cnidiis dedicatum Lesche nominabatur, quoniam in eo Delphi ad colloquia habenda congregabantur. Quod erat ornatum duabus tabulis pulcherrime pictis Polygnoti, quarum una Trojae eversio Graecorumque reditus, altera inferi, ad quos Ulyxes Tiresiae consulendi causa descenderat, repraesentata erant. cf Welcker, die Composition der Polygnot. Gemälde in der Lesche zu Delphi. Bonn 1848. K. F. Herrmann: Epikritische Betrachtungen über die Polygnot. Gemälde in der Lesche zu Delphi. Göttingen 1850. Watkiss Lloyd, museum of classical antiquities I. p 33 seq. Ruhl u. Schubart, Zeitschr. f. Altersth. 1855. 49. 1856. 38. Overbeck: antepikritische Betrachtungen im neuen rhein. Mus. 1850. p. 419. O. Jahn, die Gemälde des Polygnot in der Lesche zu Delphi. Kiel. Boettiger, Archäologie der Malerei p. 262. Bursian in Fleckeisen's neuen Jahrb. f. Philol. u. Paed. XXXIII. p. 517. Lénormant: sur les peintures que Polygnote avait executées dans la Lesche de Delphes, memoires de l'académie de sciences, de lettres et de beaux arts de Belgique, Bruxelles 1864. A. Michaelis: über die Composition der Giebelgruppen am Parthenon, Tübingen 1870. Blümner neues rh. Mus. 1871.

III.

Jam veniamus ad ea aedificia describenda, quae, quamquam pro anathematis in universum habenda non sunt, tamen intra fanum Delphicum fuisse traduntur Quorum pulcherrimum et praestantissimum fuit templum illud Apollinis, de quo nunc disputabimus.

Si Apollinis templi Delphici mentio fit, in universum id intelligitur, quod Alcmaeonidae Athenis expulsi ab Amphictyonibus Delphicis aedificandum redemerunt atque Spintharo Corinthio architecto usi medio sexto saeculo a. Ch. multo magnificentius quam obligati erant, exstruxerunt. cf. Paus. X 5. 13. Herod. II. 180. Sed quattuor alia templa, antequam illud aedificatum est, Delphis Apollini fuisse Pausanias narrat X. 5 9. Quorum vetustissimum factum esse ex ramis laureis, qui a Tempe Thessalicis apportati essent, alterum ex cera apium pennisque, quod Apollo ad Hyperboreos misisset, tertium ex aere fabricatum in terrae hiatum cecidisse et igni esse consumptum traditur, quartum, quod Trophonius et Agamedes ex lapidibus exstruxisse dicuntur, olympiadis undesexagesimae anno primo „αὐτόματον" deflagrasse Herodotus narrat (V, 62). Templum autem Apollinis, quod Alcmaeonidis Amphictyones Delphici aedificandum locaverant, quamquam templo Jovis Olympiaco minus fuit, tamen in numero maximorum Graeciae templorum esse habendum satis constat. cf Ulrichs I. p. 71. Situm erat in Parnasso atque via, qua ad id ascendebatur, ne nimis iniqua esset, anfractibus erat munita cf. Eur. Jon. 727:

ἔπαιρε σαυτὸν πρὸς θεοῦ χρηστήρια

v. 738 seq.

ἕλχ' ἕλκε πρὸς μέλαθρα καὶ κόμιζέ με· αἰπεινά τοι μαντεῖα.

v. 741: ἕπου νυν· ἴχνος δ' ἐκφύλασσε ὅπου τίθης.

v. 743: βάκτρῳ δε ἐφείδου περιφερῆ στίβον χθονός.

Ut de structurae genere, quo templum erat aedificatum, pauca addamus, Ulrichsius I, 71. ex fragmentis repertis partem aedis interiorem Jonicis, exteriorem Doricis columnis fuisse instructam lucutenter demonstravit, cf. E. Curtius anecd. Delph. p. 97. Praeterea autem templum Delphicum pulchritudine ornamentisque eis aedificiis pulcherrimis, quae Athenienses Pericle auctore exstruxerunt, inferius non fuisse, ex verbis, quae in fabula Euripidea, quae Jon inscribitur, mulieres Athenienses faciunt, plane cognoscitur: (v. 184 seq.):

οὐκ ἐν ταῖς ζαθέαις Ἀθάναις εὐκίονες ἦσαν αὐ —
λαὶ θεῶν μόνον οὐδ' ἀγυιάτιδες θεραπεῖαι
ἀλλὰ καὶ παρὰ Λοξίᾳ τῷ Λατοῦς διδύμων προς —
ώπων καλλιβλέφαρον φῶς. —

cf Pind Pyth VII, 9:

πάσαισι γὰρ πολίεσι λόγος ὁμιλεῖ
Ἐρεχθέος ἀστῶν. Ἄπολλον, οἱ τεόν γε δόμον
Πυθῶνι δίᾳ
θαητὸν ἔτευξαν.

cf. Herod. V, 62: τὸν τε νηὸν ἐξεργάσαντο τοῦ παραδείγματος κάλλιον.

Antica enim templi pars munificentia Alcmaeonidarum, qui hac re oraculi Delphici sacerdotum gratiam sibi conciliare studebant, ex marmore Pario, reliqua ex poro lapide erat facta cf. Herod. V. 62 Praeterea vero partes exteriores multo auro adornatas fuisse ex eadem fabula Euripidea (v. 156) perspicimus:

αὐδῶ μὴ χρίμπτειν θριγκοῖς
μηδ' ἐς χρυσήρεις οἴκους.

Cf. v. 191:

Λερναῖον ὕδραν ἐναίρει
χρυσέαις ἅρπαις ὁ Διὸς παῖς,

De clipeis inauratis, qui ex epistyliis pendebant, jam supra dictum est.

Sed in primis simulacra, quibus templi fastigia ornata erant, summa admiratione fuisse digna Pausanias demonstrat X, 19, 4: τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς ἔστιν Ἄρτεμις καὶ Λητὼ καὶ Ἀπόλλων καὶ Μοῦσαι δύσις τε Ἡλίου καὶ Διόνυσός τε καὶ γυναῖκες αἱ Θυιάδες· τὰ μὲν δὴ πρῶτα αὐτῶν Ἀθηναῖος Πραξίας μαθητὴς Καλάμιδός ἐστιν ἐργασάμενος· χρονου δὲ ὡς ὁ ναὸς ἐποιεῖτο ἐγγινομένου Πραξίαν μὲν ἔμελλεν ἀπάξειν τὸ χρεών, τὰ δὲ

ὑπολειπὸμενα τοῦ ἐν τοῖς ἀετοῖς κόσμου ἐποίησεν Ἀνδροσθένης, γένος μὲν καὶ οὗτος Ἀθηναιῶς, μαθητὴς δὲ Εὐκάδμου.[1]

Quae artis opera non ea aetate, qua templum est ex-structum, sed pluribus annis postea facta esse, ex artificum Atheniensium nominibus, qui finxerunt, colligere licet; nam Praxias et Androsthenes eis temporibus, quibus Phidias ille maxima laude florebat (cf. Müller Handb. 112. A. 1), fuerunt. Qua de re simulacra illa in optimis esse ponenda sine ulla du-bitatione conjicere possumus Neque ullus homo doctus hac de re dubitavit; sed inter omnes fere discrepat, qua ratione sin-gulae figurae fuerint dispositae; est enim in controversia, utrum figurae, quas Pausanias enumerat, in duobus fastigiis fictae sint an omnes in antico solo, quod prius ab eis, qui Delphos pro-ficiscebantur, spectabatur; deinde etiam, quomodo fieri potuerit, ut in Apollinis templo Bacchum deum ejusque comites repraesen-tatos inveniamus. — Atque antea docti homines ita statuerunt, ut dicerent, omnes figuras in antico templi fastigio fuisse positas (cf. Visconti museo Pioclementino t. IV), quam sententiam inter alios denuo defendit Kayserus (l. c. p. 49) ratus, posticam partem fortasse numquam esse perfectam. Ex eis quidem, quae Pausanias X. 19. 4. dixit „τὰ δ' ἐν τοῖς ἀετοῖς“ effici cogique nequit, ut utrumque templi fastigium artis operibus sit ornatum, cum numerus pluralis „ἀετοί,“ quo usus est, modo ad unum, modo ad ambo fastigia apud illum pertineat. Cf. I. 24. 5: ἐς δέ τὸν ναὸν ὃν παρθενῶνα ὀνομάζουσιν, ἐς τοῦτον ἐσιοῦ-σιν ὁπόσα ἐν τοῖς καλουμένοις ἀέτοῖς κεῖται — τὰ δὲ ὄπισθεν. VIII. 45. 7: τὰ δὲ ὄπισθεν πεποιημένα ἐν τοῖς ἀετοῖς. IX. 11. 6: τὰ ἐν τοῖς ἀετοῖς. Cf. V. 10. 6. VIII. 45. 6.

Nec numero figurarum prohibemur, quominus omnes in uno fastigio disponamus. Nam si novem Musas totidemque Thyiadas fictas cogitamus, ut viginti tres figuras habeamus, omnes, qui ea quae Pausanias de eodem templorum genere narrat, accuratius legerint, facile concedent, omnibus figuris locum suppeditasse. Velut. I. 245 dicit, in antica parte templi Jovis Olympiaci vi-ginti unam fuisse figuras; totidem fere in utroque Parthenonis fastigio fuisse constat. Itaque haec quidem causa non est, qua

nobis persuadeatur, eos, qui illas figuras antico fastigio tribui volunt, a vero aberrasse. Sed reputanti mihi, quid tandem in contrariam partem afferri possit, duae occurrunt causae, quibus utrumque fastigium templi Delphici simulacris ornatum fuisse appareat. Atque primum quidem animadvertendum est, id quod ad id, quod volumus demonstrandum haud exigui est momenti, quod omnium illustriorum templorum utrumque fastigium artis operibus ornatum fuit. Itaque vix veri est dissimile, templum Apollinis Delphicum, umbilicum illum universae Graeciae, multis opibus instructum hoc ornamento caruisse, cum praesertim eo tempore exornaretur, quo Graecia artibus litterisque florebat, quo alia aliam civitatem amplificandis templis vincere studebat. Sed haec leviora; venimus ad alia eaque graviora Loci enim Euri-pidei, quem jam supra attulimus (Jon. 187):

ἀλλὰ καὶ παρὰ Λοξιόν τῷ Λατοῦς διδύμων προς —
ώπων καλλιβλέφαρον φῶς

verbis „διδύμων προςώπων καλλιβλέφαρον φῶς“ utrumqne fastigium simulacris fuisse instructum luculenter declaratur (cf. Welcker alte Denk. I. pag. 165. 166.) Idem declarat Pausa-nias loco supra commemorato (X. 19. 4.); nam legendum est cum Claviero et tribus codicibus nuper repertis: „τὰ πρῶτα“ pro, τὰ πρόςωπα; fieri enim non potuit, ut alter artifex capita, alter reliquas figurarum partes fingeret. Verba autem „τὰ μὲν δὴ πρῶτα“ sunt referenda ad antici fastigii figuras, quas Praxias, verba „τά δ' ὑπολειπόνενα“ ad eas, quas in postica templi parte Androsthenes fecit. Ex his igitur, quas protulimus, causis, utrumque templi fastigium simulacra habuisse satis superque apparet.

Pergimus ad id quaerendum, quod inter homines doctos discrepat, quae cuique fastigio figurae sint tribuendae. Ulrich-sius quidem (l. c. p. 72) eam sententiam amplexus est, ut dicat, simulacra Dianae, Latonae, Apollinis, Musarum, Solis occidentis in antico fostigio, Bacchi et Thyiadum in postico fuisse. Cui sententiae assentitur Letronnius (lettres d' un antiquaire p. 116) aliique. Contra primus, quantum scio, Welckerus, quae est ejus antiquarum litterarum scientia, (alte Denk. I. 155) perspexit,

Solem occidentem non in antico, sed postico esse ponendum, quam sententiam plurimi recentiorum criticorum suam fecerunt. Cf. Bursian, Geographie von Griechenland I. p. 175. Stephani comte-rendu de la commission impériale archéologique pour l'année 1860 pag. 54 seq. Equidem idem sentio, sed aliis eisque diversis causis adductus. Welckerus enim putat, Solem occidentem spectare ad sepulcrum Bacchi et ad tres menses hiemales, qui Delphis ei sacri erant ideoque cum Baccho ejusque comitibus esse conjungendum. Nec tamen ille, quantum ego existimare possum, verum vidit. Objiciendum enim ei est, in Parthenone Solem orientem dextra, sinistra Lunam occidentem fuisse effictos; idem observari potest in artis opere Elidensi, quod Pausanias descripsit V. 11. 8. Perspicuum est autem, has figuras ab eis, qui finxerunt, ad alias, quam Welckerus dixit, rationes revocatas esse. Inde non injuria sic statuere nobis videmur, ut artifices id egisse ut additis illis deis, Sole et Luna universum mundum, qui veterum quidem opinione gravissimis rebus intererat, significarent, existimemus. Cf. Stephani l. c. 1860. p. 61. — Inter opera autem, quae in templo Delphico fuerunt et ea, quae supra commemoravimus, hoc maxime intererat, quod cum in his Solem orientem fuisse inveniamus, in illis Sol occidens factus est. Tum etiam non obliviscendum est, in Parthenone Lunam quoque occidentem fuisse, quam deam in templo Apollinis fictam Pausanias non commemorat. Cum autem constet, Pausaniam in operibus describendis parum accuratum fuisse (cf. Welcker alte Denk. I. 156), Jahnium (arch. Beiträge p. 79) recte judicasse, cum dicat, Soli occidenti ex altera parte respondisse Lunam orientem non esse videtur veri dissimile. Pausanias enim, cum plura ejusdem generis monumenta vidisset, Lunam orientem non enumeravit, quod omnes scirent, Solem occidentem cogitari non posse sine Luna orienti. Accedit, quod ipsa ratione plastica, quam antiqui artifices sequebantur, vere recteque illud nos statuisse demonstratur. In antica enim templi parte imaginibus Apollinis eorumque deorum, quibuscum arctissime conjunctus est, efficiuntur duodecim figurae, quem numerum etiam in postica Luna addita habemus. Quae cum ita sint, nemo est, qui dubitet,

quin in postico templi fastigio et Sol occidens et Luna oriens, quibus deis universus mundus significaretur, fuerint repraesentati; illos autem deos ante omnes sacris bacchicis interfuisse demonstratur nonnullis locis Euripideis. Cf. Jon. 1074:

αἰσχύνομαι τὸν πολύυμνον
θεόν, εἰ παρὰ καλλιχόροισι παγαῖς
λαμπάδα θεωρὸν εἰκάδων
ὄψεται ἐννύχιος ἄυπνος ὤν,
ὅτε καὶ Διός ἀστερωπὸς
ἀνεχόρευσεν αἰθήρ,
χορεύει δὲ Σελάνα
καὶ πεντήκοντα κόραι
Νηρέος, αἵ κατὰ πόντον
ἀενάων τε ποταμῶν
δίνας χορευόμεναι.

Cf. Bacch. 113:

ἀμφὶ δέ νάρθηκας ὑβριστάς
ὁσιοῦσθ᾽· αὐτίκα γᾶ πᾶσα χορεύσει,
Βρόμιος εὖτ᾽ ἂν ἄγῃ θιάσους
εἰς ὄρος εἰς ὄρος, ἔνθα μένει
θηλυγενὴς ὄχλος
ἀφ᾽ ἱστῶν παρὰ κερκίδων τ᾽
οἰστρηθεὶς Διονύσῳ. —

Praxias igitur et Androsthenes eandem rem, quam Phidias in Parthenone ornando, significari voluerunt, sed ita, ut sacrorum Bacchi habuerint rationem. Quum enim sacra bacchica fere semper nocturno tempore facta sint, summis laudibus artifices illi digni videntur, qui deos, qui universum mundum significabant, tali modo finxerint, quo supra fictos esse statuimus. Cf. Eur. Bacch. 485:

τὰ δ᾽ ἱερὰ νύκτωρ ἢ μέθ᾽ ἡμέραν τελεῖς;
νύκτωρ τὰ πολλά· σεμνότητ᾽ ἔχει σκότος.

Soph. Ant. 1146:

ἰὼ πῦρ πνεόντων
χοράγ᾽ ἄστρων, νυχίων
φθεγμάτων ἐπίσκοπε

παῖ Ζηνὸς γένεθλον
προφάνηθ' ὦ Ναξίαις σαῖς ἅμα περιπόλοις
Θυίαισιν, αἵ σε μαινόμεναι πάννυχοι
χορεύουσι τὸν ταμίαν Ἴακχον. —

Cf. Eur. Phoen. 226.

ὦ λαμποῦσα πέτρα πυρός
δικόρυφον σέλας ὑπὲρ ἄκρων.

Cf. Eur. Jon. 714—717.

Praeterea veri simile videtur artifices, qui tapetum illud, quod Euripides in fano Delphico fuisse dicit, intexuerunt, artis opera in postico fastigio facta ad imitandum sibi proposuisse. Nam in pictura illa textili Solem etiam occidentem atque Noctem, quam stellae comitantur, orientem fuisse, scriptum est in Euripidis Jone (1146—1158):

ἐνῆν δ' ὑφανταὶ γράμμασιν τοιαίδ' ὑφαί·
Οὐρανός ἀθροίζων ἄστρ' ἐν αἰθέρος κύκλῳ·
ἵππους μὲν ἤλαυν' εἰς τελευταίαν φλόγα
Ἥλιος, ἐφέλκων λαμπρὸν Ἑσπέρου φάος.
μελάμπεπλος δὲ Νὺξ ἀσείρωτον ζυγοῖς
ὄχημ' ἔπαλλεν· ἄστρα δ' ὡμάρτει θεᾷ.
Πλειὰς μὲν ᾔει μεσοπόρου δι' αἰθέρος,
ὅ τε ξιφήρης Ὠρίων ὕπερθε δὲ
Ἄρκτος στρέφουσ' οὐραῖα Χρυσήρει πόλῳ
κύκλος δὲ πανσέληνος ἠκόντιζ' ἄνω
μηνὸς διχήρης, Ὑάδες τε ναυτίλοις
σαφέστατον σημεῖον, ἥ τε φωσφόρος
Ἕως διώκουσ' ἄστρα, —

Quibus rebus expositis nemo erit, quin intelligat, Solem occidentem, cum sacris bacchicis interfuisse crederetur, in postico templi fastigio fuisse sculptum. Quae sententia confirmatur vase, quod ab Stephanio l. c. 1860 tab. III. in publicum editum est. Quod vas ita est effictum, ut Solem occidentem oriens Luna consequatur et uterque deus Bacchantes intueatur. Itaque haud procul ab vero abesse nobis videmur, si conjiciamus, eos, qui vas fabricaverunt, artis opera, de quibus agitur, esse imitatos. Quum autem in eo praeter Thyiadas aliae figurae bacchicae

repraesentatae sint, Satyri, paene necessario sequitur, ut idem statuendum sit de postica parte templi Delphici. Quod si recte diximus — esse autem rectum neminem ea, quae disputavimus, incertum sinent — probabile est, in antico templi fastigio praeter figuras supra commemoratas alias etiam, quae ad Apollinem pertinent, fuisse factas, id quod etiam Welckerus probavit. Denk. I. 158. 164.

Solem igitur in postica parte fuisse, ex eis, quae diximus, luculenter perspicitur. Accedit, quod Pausanias ipse, si verba ejus recte inter se conjungamus, idem affirmat. Antici enim fastigii figuras enumerat particula „καὶ" adhibita; in imaginibus autem postici enumerandis utitur particula „τε" reliquasque addens particula „καὶ". Itaque conjugenda sunt verba: Ἄρτεμις — δύσις τε Ἡλίου. cf. Welcker l. c. p. 155. A. 25. Boetticher zu den Bildwerken der dreiseitigen Basis in Dresden in Gerhard's arch. Zeitg. Jahrg. XVI. p. 219. Anm. 10.

Antequam exponamus, quo modo fieri potuerit, ut Apollo et Bacchus, dei inter se diversissimi in uno eodemque templo repraesentarentur, errorem corrigamus, qui apud criticos invenitur. Welckerus enim aliique Apollinem in media antici fastigii parte, Latonam vero et Dianam juxta eum collocatos esse statuerunt. Haec sententia mihi non probatur, quum aliena sit ab eis, quae Pausanias scripsit. Nam in enumerandis figuris non dicit: „ἔστιν Ἄρτεμις καὶ Ἀπόλλων καὶ Λητώ," sed: „ἔστιν Ἄρτεμις καὶ Λητὼ καὶ Ἀπόλλων. Latonam igitur medium locum habuisse nemo non videt; incredibile enim est, Pausaniam ea serie figuras recensuisse, ut omissa media ab altera parte ad alteram transiliret. Praeterea autem imaginibus plurium vasorum docemur, Latonam plerumque in mediis liberis fuisse collocatam. Denique memoratu dignum est, et Latonam et Dianam Delphis summam habuisse venerationem; et Dianam templi Delphici fuisse participem Wieseler ita firmavit, ut ne tenuissima quidem restet dubitatio cf. Jahn's Jahrb. 65. p. 673.

Restat igitur, ut paucis explicemus, qua ratione ambo dei, Apollo et Bacchus, qui operibus illis sunt celebrati, inter se conjuncti sint. Pervulgatum enim est, fanum Delphicum soli

Apollini sacrum fuisse. Quod qui judicant, judicio suo falsi sunt. Quamquam enim ille maxime colebatur, Bacchus etiam suum cultum habebat. cf. Plut. de E apud Delphos 9: *ᾧ (Διονύσῳ) τῶν Δελφῶν οὐδὲν ἧττον ἢ τῷ Ἀπόλλωνι μέτεστιν.* — Quod etsi primo aspectu mirabilius dictum videtur, cum dei illi diversissimi sint, tamen ubi accuratius de eis quaesiverimus, ambos necessitudine quadam conjunctos esse cognoscemus. cf. Michael Ross, de Baccho Delphico Bonnae 1865. - Inter Apollinem et Bacchum haec similitudo intercedebat, ut divino furore incensi putarentur et qui oracula Jovis patris administrarent atque ederent. cf. Strabo X. 717. *οἱ μὲν οὖν Ἕλληνες οἱ πλεῖστοι τῷ Διονύσῳ προσέδεσαν καὶ τῷ Ἀπόλλωνι καὶ τῇ Ἑκάτῃ καὶ ταῖς Μούσαις καὶ Δήμητρι, νὴ Διά, τὸ ὀργαστιάστικον πᾶν καὶ βακχικὸν καὶ τὸ χορικὸν, καὶ τὸ περὶ τὰς τελετὰς μυστικόν.*

Cf. Eur. Bacch. 297:

μάντις δ' ὁ δαίμων ὅδε· τὸ γὰρ βακχεύσιμον
καὶ τὸ μανιῶδες μαντικὴν πολλὴν ἔχει,
ὅταν γὰρ ὁ θεὸς ἐς τὸ σῶμ' ἔλθῃ πολύς
λέγειν τὸ μέλλον τοὺς μεμηνότας ποιεῖ.

Cf. Plat. Phaedr. p. 244. C. F. Herrmann gottesd. Alterth. §. 57. 16. Stephani l. c. 1861. p. 57.

Unde factum est, ut ab veteribus ipsis Apollo et Bacchus saepe pro uno eodemque deo haberentur. Quam rem, ut alia omittam, ex eo cognoscitur, quod ambo dei saepius cum arte cultuque arcte conjuncti tum eisdem insignibus comitibusque instructi sunt.

Cf. Menand. rhet. IX p. 329: *Ὦ Σμίνθιε καὶ Πύθιε, ἀπὸ σοῦ γάρ ἀρχόμενος ὁ λόγος εἰς σὲ καὶ τελευτήσει, ποίαις σὲ προσηγορίαις προσφθέγξομαι; οἱ μέν σὲ Λύκειον λέγουσι, οἱ δὲ Δήλιον, οἱ δὲ Ἀσκαῖον, Μίθραν σε Πέρσαι λέγουσιν, Ὧρον Αἰγύπτιοι, σὺ γὰρ εἰς κύκλον τὰς ὥρας ἄγεις. Διόνυσον Θηβαῖοι, Δελφοὶ δὲ διπλῇ προσηγορίᾳ τιμῶσιν Ἀπόλλωνα καὶ Διόνυσον λέγοντες.*

Cf. Dio Chrysost. XXI, 11. p. 570:
καὶ τοὶ τὸν μὲν Ἀπόλλω καὶ τὸν Ἥλιον καὶ τὸν Διόνυσον ἔνιοί φασιν εἶναι τὸν αὐτόν.

Cf. Macrob. Sat. I. 18. 6.

Cf. Servius zu Verg. Aen. III, 93.

Insignium autem, quae utrique deo tribuebantur, notissima sunt tripus, caprea, draco, id quod artis operibus servatis demonstratur; sed vel ea insignia, quae utriusque dei propria sunt, modo Apollini modo Baccho tribuebantur. Velut tibiam et syringa, quae fere semper sunt instrumenta bacchica, Apollo ejusque comites habent.

Cf. Preller griech. Myth. I. p. 215. Welcker Denk. III. Taf. 31. Elite cerem. tom. II. pl. 80. 86. 86 a.

Plut. de mus. 14. 4: *καὶ ἡ ἐν Δήλῳ δὲ τοῦ ἀγάλματος αὐτοῦ ἀφίδρυσις ἔχει ἐν μὲν τῇ δεξιᾷ τόξον, ἐν δὲ τῇ ἀριστερᾷ χάριτας, τῶν τῆς μουσικῆς ὀργάνων ἑκάστην τι ἔχουσαν ἡ μὲν γὰρ λύραν κρατεῖ, ἡ δ' αὐλούς, ἡ δ' ἐν μέσῳ προσκειμένην ἔχει τῷ στόματι σύριγγα. Ἀλλὰ μὴν καὶ τῷ κατακομίζοντι παιδὶ τὴν Τεμπικὴν δάφνην εἰς Δελφοὺς παρομαρτεῖ αὐλητής. καὶ τὰ ἐξ Ὑπερβορέων δὲ ἱερὰ μετ' αὐλῶν καὶ συρίγγων καὶ κιθάρας εἰς τὴν Δῆλόν φασι τὸ παλαῖον στέλλεσαι. Ἄλλοι δὲ καὶ αὐτὸν τὸν θεὸν φασιν αὐλῆσαι καθάπερ ἱστορεῖ ὁ ἄριστος μελῶν ποιητὴς Ἀλκμᾶν· ἡ δὲ Κόριννα καὶ διδαχθῆναί φησι τὸν Ἀπόλλωνα ὑπ' Ἀθηνᾶς αὐλεῖν.*

Lyram autem, quae in primis Apollinis propria est, Bacchus eique, qui eum comitabantur, Satyri, Maenades, Silenus habent. cf. Wieseler, Denk. II, 373, 405, 437.

Tum etiam hederam Apollini, Baccho laurum fuisse sacram constat. cf. Aesch. frag. 394 ed. Dindorf:

ὁ κισσεὺς Ἀπόλλων ὁ καβαῖος ὁ μάντις.

cf. Macrob. Sat. I. 18. 6.
Wieseler Deuk. I. 204.
Preller l. c. I. p. 197 Anm. 3.
Hom. hym. XXVI, 9:

κίσσῳ καὶ δάφνῃ πεπυκασμένος.

Eur. frag. 480. ed. Dindorf: *δέσποτα φιλόδαφνε Βάκχε, Παιὰν Ἄπολλον εὔλυρε.* Welcker alt. Denk. I, 155 Anm. 22.

In vasis quoque Bacchum ejusque comites lauro ornatos habemus. cf. Tischbein engravings t. II. pl. 45. I. pl. 38. Clarac musée de sculpt. pl. 701. No. 1660 A. Wieseler Denk. II. N. 425.

Deinde gryphem, animal Apollini proprie sacrum, habet Bacchus. cf. Dubois-Maisonneuve. introduction à l'étude des vases pl. II. Wieseler l. c. II, 718.

Praeter instrumenta, plantas, animalia, nonnulli homines cum utroque deo conjuncti sunt, Orpheus (Preller l. c. II. 486), Maro Odyss. IX, 197), Anius (Preller l. c. I, 531) Et Apollodorus (I, 14. 1) Apollinem artem vaticinandi a Pane edoctum, Eustathius (ad Odysseam p. 1816, 4) Bacchum a Musis educatum esse narrant. Neque id negligendum est, Musas, Apollinis comites a Nymphis, quae inter Bacchi comites sunt, principio haud multum distare (cf. Soph. Oed. Rex, 1105):

εἴθ' ὁ Βακχεῖος θεὸς ναίων ἐπ' ἄκρων ὀρέων σ' εὕρημα δέξατ' ἔκ του,
Νυμφᾶν Ἑλικωνίδων, οἷς πλεῖστα συμπάζει.

Soph. Antig. 965:

φιλαύλους τ' ἠρέθιζε Μούσας.

cf. Diod. IV, 4. Plut. quaest. conv. VIII. prooem. 5. Paus. I, 2. 5. 31, 6.

nec minus in vasis esse mulierum figuras, quae utrique deo tribui possunt. cf. Wieseler Denk. II, 488. Apollinem autem a bacchicis personis stipatum fuisse demonstratur pluribus vasorum imaginibus. cf. Welcker l. c. I, 154. Anm. 21. Wieseler Denk. II, 240. Clarac, musée de sculpt. pl. 126. 129.

Quum igitur ambo dei tam arcta necessitudine continerentur, haud raro accidit, ut artifices alterum juxta alterum (cf. Gerhard, auserl. Vasen Taf. 14. 16. 17. 35. 39. 67. 138. 142. Millin galérie myth. II, 32.) fingerent atque nonnulla vasa simulacris templi Delphici tam similia facta sunt, ut in una vasis parte Apollinem, in altera Bacchum comitibus utriusque additis repraesentatos habeamus. cf. Wieseler Denk. II, 425. Gerhard auserl. Vasen, tab. 25. 32. 73. Elite cerem. tom. II. p. 39 a. Wieseler l. c. II, 394. I, 308.

Quoniam de insignibus, quae Apollini et Baccho communia fuerunt, disputavimus, restat, ut pauca de cultu eorum addamus. Pausanias quidem tradit, ambos deos cum multis Graeciae locis (cf. I, 31. 4. II, 30. 1. IV, 27, 6. V, 15. 4.), tum etiam Delphis sacra communia habuisse. Dicit enim Thyiadum Delphicarum furoribus deum utrumque esse celebratum cf. X, 32 17. *αἱ Θυιάδες τῷ Διονύσῳ καὶ τῷ Ἀπόλλωνι μαίνονται.* cf. X, 4. 3. Plut. de Iside 35. Welcker l. c. I. p. 158. Panofka, über Dionysos und die Thyiaden, Vortrag in der Berl. Acad. der Wissenschaften März 1852). Praeterea autem inscriptionibus nuper inventis Baccho tres menses hiemales Dadophorium, Poetropium, Amalium, Apollini novem reliquos Delphis sacros fuisse demonstratur. cf. L. Weniger, die religiöse Seite der grossen Pythien, ein Beitrag zur delphischen Heortologie p. 5

Quibus explicatis licebit vasorum mentionem facere, quae quo arctissimo vinculo ambo dei conjuncti fuerint oculis subjiciunt. In quibus ante omnia id enumerandum est, de quo disputavit Wenigerus (arch. Ztg. 1866 N. 211 u. 212. tab. IV.). Bacchus enim et Apollo Delphos profectus ita sunt effecti, ut manu dextra data inter se amicissime consalutent. cf. arch. Ztg. 1865 N. 202. 203. tab CCII et CCIII.

Satis mihi multa verba fecisse videor, ut ostenderem, magnam Delphis venerationem et Apollinem et Bacchum habuisse idque artifices Athenienses aptissime ante oculos posuisse ita, ut in antica templi parte Apollinem, in postica Bacchum, cum comitibus collocarent.

Restat, ut pauca dicamus de imaginibus, quibus metopae ornatae fuisse traduntur. Pausanias quidem de hisce artis operibus nihil tradidit; Euripides autem (Ion 190—219), id quod nobis gratissimum est, mulieres Athenienses, quae templum contemplantur, quinque saltem metopas describentes fecit. Quem auctorem secuti reperimus, in una fuisse effictum Herculem, qui, ab Iolao adjutus, hydram Lernaeam interficit, in altera Bellerophontem, qui cum Chimaera pugnat, in tertia Athenam, quae

Enceladum gigantem prosternit, in quarta Iovem, qui Mimanta fulmine percutit, in quinta Bacchum, qui thyrso alium gigantem necat. Quum autem Welckerus de illis operibus accuratius disputaverit, eos, qui quod homines docti inter se dissentientes de eo loco Euripideo judicaverunt, intelligere volunt, ad eum delegamus. cf. alte Denk. I, 170—178

Antequam ad interiores templi partes describendas aggrediamur, memorandum est, in exteriore pariete verba fuisse inscripta, quibus quantus esset ager deo sacratus indicabatur. cf. corp. inscript. Graec. 1711. Ulrichs I, 75. Deinde id quoque addendum videtur, spatium templo proximum, quod maxime sacrum habebatur (cf. Eur. Ion. 44 seq.:

ἐθαύμασ᾽ εἴ τις Δελφίδων τλαίη κόρη
λαθραῖον ὠδῖν᾽ εἰς θεοῦ ῥῖψαι δόμον,
ὑπὲρ δὲ θυμέλας διορίσαι πρόθυμος ἦν)

muro vel cancellis a reliquo peribolo fuisse separatum. cf. Eurip. Ion. 1321:

τρίποδα γὰρ χρηστήριον
λιποῦσα θριγκοῦ τοῦδ᾽ ὑπερβάλλω ποδί..

cf. Boetticher Tekt. IV, 95. Quod spatium in inscriptionibus „*αὐλά*" appellatum (cf. corp. inscr. Graec. N. 1688. l. 35) a Boeckhio „*τεμένους* pars templo proxima maceria clausa" significatum, quin idem sit, quod Euripides „*πυλώματα*" nominat, dubitari non potest. (Ion 78: *ὁρῶ γὰρ ἐκβαίνοντα Λοξίου γένος τόνδ᾽ ὡς πρὸ ναοῦ λαμπραθῇ πυλώματα δάφνης κλάδοισιν.*

Quia autem hac in aula „*βωμὸς ὁ μέγας*", de quo jam supra dictum est, qui ab Euripide simpliciter „*ὁ βωμός*" sive „*βωμός*" nominatur, conditus erat, totum spatium muro saeptum „*θυμέλη*" sive „*θυμέλαι*" appellatum esse ab eodem poeta docemur. cf. Kayser l. c. p. 134. Anm. 62 Wieseler in Fleckeisen's Jahrb. 75, p. 675. Quem locum ante pronaum esse situm opus erat, ut in sacris faciendis porta cellae aperta dei signum cerni posset. cf. Wieseler Denkm. I, 369. 400. Sed hanc rem non ita intelligi volumus, ut, id quod Boetticherus defendit (Tektonik IV, p. 17 et 34), omnes victimas in illa ara

fuisse caesas putandem sit. Nam cum Euripides dicat (Androm. 1138.) in cella fuisse „*βωμοῦ δεξίμηλον ἐσχάραν*", ibi quoque hostias fuisse immolatas pro certo habendum mihi videtur.

Quoniam de exteriore aede dixi, nunc de interiore pauca dicam. Atque inter omnes constat templum Delphicum, ut plurima Graecorum templa, tres partes habuisse, pronaum, cellam, adytum, de quibus fusius disputavit Boetticherus (Tektonik der Hellenen. Pronaum quidem, de quo agimus, pulcherrime describit Plutarchus (de garrul. 17.) hisce verbis: „*καὶ τῷ ἱερῷ τοῦ Πυθίου Ἀπόλλωνος οὐ τὴν Ἰλιάδα καὶ τὴν Ὀδύσσειαν οὐδὲ τοὺς Πινδάρου παιᾶνας ἐπέγραψαν οἱ Ἀμφικτύονες· ἀλλὰ τὸ Γνῶθι σαυτὸν καὶ τὸ μηδὲν ἀγὰν καὶ τὸ Ἐγγύα παρὰ δ᾽ ἄτα.*

Plura autem hac de templi 'parte Pausanias tradidit (X. 24, 1—4). Dicit enim ibi inscripta fuisse verba illa septem sapientium et quidem aureis litteris. cf Plin. nat. hist. VII, 33. Goettling gesammelte Abhandlungen I. p. 239 seq. Quae verba quo pronai loco insculpta fuerint, cum de ea re nihil traditum sit, in medio est relinquendum Illud quidem „*Γνῶθι σαυτόν*" modo Thaleti, modo Chiloni, modo Pythiae ipsi tributum, quo deus eos, qui templum intrabant, veluti salutans compellabat (cf. Plut. de *E* apud Delphos 17: *ὁ μὲν γὰρ θεὸς ἕκαστον ἡμῶν ἐνταῦθα προςιόντα οἷον ἀσπαζόμενος προςαγορεύει τὸ Γνῶθι σαυτόν. ὃ τοῦ Χαῖρε δὴ οὐδὲν μεῖόν ἐστιν.*) „ipsius fronti templi" fuisse inscriptum Macrobius dicit (somnium Scip. I, 9). cf. Ferdinand Schultz, die Sprüche der delphischen Säule in von Leutsch's Philol. XXIV, p. 193 seq.

Deinde in pronao fuisse *E* ex ligno factum commemorandum est, ad quod Athenienses aereum, Livia imperatrix aureum addiderunt. Nam tres litteras esse intelligendas jam ex eo sequitur, quod Plutarchus (de *E* ap. Delph. 15) de duplici *E* verba facit. cf. Plut. de defectu orac. 31. Plin. n. h. VII, 33. Cujus de significatione Plutarchi libellus est conferendus, qui inscribitur: „*περὶ τοῦ E τοῦ ἐν Δελφοῖς.*"

Tum in pronao fuit statua Homeri ahenea in columna posita (cf. Paus. X, 24. 2). Quam statuam Wieseler conjecit eandem esse atque in imagine illa, qua sculpta est apotheosis Homeri; tamen postea sententiam commutavit. cf. Denk. d. alt. K. II, 742.

Porro in hac templi parte argenteam, non auream, crateram, quam Croesus rex consecraverat, fuisse Herodotus narrat (I. 51). Prope crateram illam Aeginetas pugna Salaminia facta anathema posuisse idem est auctor (VIII. 122). Quod anathema, quamquam ex tribus aureis stellis in aheneo malo infixis constitisse Herodotus tradidit, tamen Boetticherus (Tektonik IV, 44) duas, quae ad Castorem et Pollucem heroes referendae fuisse contendit. Sed viro docto assentiri non possum; inter omnes enim constat, praeter illos heroes Apollinem, cui cognomen erat Delphinius, patronum a nautis cultum fuisse atque dubitari non potest, quin ad hunc deum tertia stella sit referenda.

Denique id dignum, quod commemoretur, mihi videtur, Euripidem poetam verbo „γύαλα", quod saepius apud eum in fano Apollineo describendo invenitur, numquam ita usum esse, ut pronaum, id quod Kayserus (l. c p. 135 Anm. 68) voluit, significaret (Ion 76, 221. 233. Andr. 1099). cf. Wieseler Fleckeisen Jahrb 75, p. 676; sed mea quidem sententia verbum illud uno loco (Ion 233) excepto ad adyton est revocandum, de qua re infra accuratius dicemus.

Sequitur, ut de cella dicamus. Haec altera templi pars picturis Aristoclidis ornata (cf. Plin. n. h. 35, 11), quae saepe „ὁ ναός" sive „σηκός" nominatur, a pronao porta satis magna separabatur. cf. Eur Ion 514 seq.:

ἐν δόμοις ἐστ'. ὦ ξέν'. οὔπω δῶμ' ὑπερβαίνει τόδε
ὡς δ' ἐπ' ἐξόδοισιν ὄντος τῶνδ' ἀκούομεν πυλῶν
δοῦπον, ἐξιόντα τ' ἤδη δεσπότην ὁρᾶν πάρα.

Haec in cella aram Neptuni fuisse Pausanias tradit (X, 24 4.), quod „*τὸ μαντεῖον τὸ ἀρχαιότατον κτῆμα ἦν καὶ Ποσειδῶνος*. cf. X. 5. 6, quo loco scriptum invenimus, Neptunum

una cum Terra dea oraculum possedisse, suam tamen partem Apollini pro Calauria insula dedisse Terram autem suam Themidi, hanc rursus Apollini donasse; hoc modo factum esse, ut Apollo solus illud haberet. Nec tamen obliviscendum est, Aeschylum (Eum. 1—8) in enarrandis eis, qui possedissent, a Pausaniae narratione paullulum dissentire [1]). Neptuno quidem ante Apollinem natum oraculum Delphicum consecratum fuisse, ei non mirabuntur, qui secum reputaverint, Graecos antiquos aquam instruere homines divinatione credidisse. Constat enim, Pythiam cum vaticinatura esset, aquam Cassotidis fontis, quem in adyto fuisse infra demonstrabimus, bibisse (cf. Paus. X, 24. 7. Plut. de def. orac. 50.); quia autem omnes fontes a Neptuno proficisci putabantur, facile intelligitur, cur hic oraculi Delphici particeps fuisse crederetur. His permutationibus, quae inter singulos deos factae esse feruntur, id significari, eos necessitudine quadam inter se conjunctos fuisse, paullatim autem alterius cultum praevaluisse, nemo est, qui non videat. Itaque oraculum Delphicum, quod Terrae fuit, ad Themin translatum esse, non est, cur miremur, praesertim cum ex Aeschylo noverimus, diversis illis nominibus initio eandem personam significatam esse. cf. Prometh. 209:

ἐμοὶ δὲ μήτηρ οὐχ ἅπαξ μόνον Θέμις
καὶ Γαῖα, πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία.

Eadem sunt dicenda de Themide et Apolline; nam illa ipsa, ut Apollo edidisse oracula et omnes Jovis „*θέμιστας*" administrasse fertur. Qua de re conferenda est vasis imago, de qua Gerhardus dicit in libello, qui inscribitur: das Orakel der Themis Berlin 1846. cf. Welcker a. Denk. II, 325. Wieseler Denk. II, 947. cf. Ahrens, über die Göttin Themis, Schulnachrichten des Lyceums zu Hannover 1862 u. 1864. cf. Diod. V, 67, 4: *Θέμιν δὲ μυθολογοῦσι μαντείας καὶ θυσίας καὶ θεσμοὺς τοὺς περὶ τῶν θεῶν πρώτην εἰσηγήσασθαι καὶ τὰ περὶ*

---

1) Neptuno ante Apollinem natum etiam Delum insulam fuisse, Servius (ad Aen. III, 73: „haec primo Neptuno et Doridi fuit consecrata") commentatus est.

Tum in pronao fuit statua Homeri ahenea in columna posita (cf. Paus. X, 24. 2). Quam statuam Wieseler conjecit eandem esse atque in imagine illa, qua sculpta est apotheosis Homeri; tamen postea sententiam commutavit. cf. Denk. d. alt. K. II, 742.

Porro in hac templi parte argenteam, non auream, crateram, quam Croesus rex consecraverat, fuisse Herodotus narrat (I. 51). Prope crateram illam Aeginetas pugna Salaminia facta anathema posuisse idem est auctor (VIII. 122). Quod anatheanathema posuisse idem est auctor (VIII. 122). Quod anathema, quamquam ex tribus aureis stellis in aheneo malo infixis constitisse Herodotus tradidit, tamen Boetticherus (Tektonik IV, 44) duas, quae ad Castorem et Pollucem heroes referendae fuisse contendit. Sed viro docto assentiri non possum; inter omnes enim constat, praeter illos heroes Apollinem, cui cognomen erat Delphinius, patronum a nautis cultum fuisse atque dubitari non potest, quin ad hunc deum tertia stella sit referenda.

Denique id dignum, quod commemoretur, mihi videtur, Euripidem poetam verbo „γύαλα“, quod saepius apud eum in fano Apollineo describendo invenitur, numquam ita usum esse, ut pronaum, id quod Kayserus (l. c p. 135 Anm. 68) voluit, significaret (Ion 76, 221. 233. Andr. 1099). cf. Wieseler Fleckeisen Jahrb 75, p. 676; sed mea quidem sententia verbum illud uno loco (Ion 233) excepto ad adyton est revocandum, de qua re infra accuratius dicemus.

Sequitur, ut de cella dicamus. Haec altera templi pars picturis Aristoclidis ornata (cf. Plin. n. h. 35, 11), quae saepe „ὁ ναός“ sive „σηκός“ nominatur, a pronao porta satis magna separabatur. cf. Eur Ion 514 seq.:

ἐν δόμοις ἐστ᾽. ὦ ξέν᾽. οὔπω δῶμ᾽ ὑπερβαίνει τόδε
ὡς δ᾽ ἐπ᾽ ἐξόδοισιν ὄντος τῶνδ᾽ ἀκούομεν πυλῶν
δοῦπον, ἐξιόντα τ᾽ ἤδη δεσπότην ὁρᾶν πάρα.

Haec in cella aram Neptuni fuisse Pausanias tradit (X, 24. 4.), quod „τὸ μαντεῖον τὸ ἀρχαιότατον κτῆμα ἦν καὶ Ποσειδῶνος. cf. X. 5. 6, quo loco scriptum invenimus, Neptunum

una cum Terra dea oraculum possedisse, suam tamen partem Apollini pro Calauria insula dedisse Terram autem suam Themidi, hanc rursus Apollini donasse; hoc modo factum esse, ut Apollo solus illud haberet. Nec tamen obliviscendum est, Aeschylum (Eum. 1—8) in enarrandis eis, qui possedissent, a Pausaniae narratione paullulum dissentire [1]). Neptuno quidem ante Apollinem natum oraculum Delphicum consecratum fuisse, ei non mirabuntur, qui secum reputaverint, Graecos antiquos aquam instruere homines divinatione credidisse. Constat enim, Pythiam cum vaticinatura esset, aquam Cassotidis fontis, quem in adyto fuisse infra demonstrabimus, bibisse (cf. Paus. X, 24. 7. Plut. de def. orac. 50.); quia autem omnes fontes a Neptuno proficisci putabantur, facile intelligitur, cur hic oraculi Delphici particeps fuisse crederetur. His permutationibus, quae inter singulos deos factae esse feruntur, id significari, eos necessitudine quadam inter se conjunctos fuisse, paullatim autem alterius cultum praevaluisse, nemo est, qui non videat. Itaque oraculum Delphicum, quod Terrae fuit, ad Themin translatum esse, non est, cur miremur, praesertim cum ex Aeschylo noverimus, diversis illis nominibus initio eandem personam significatam esse. cf. Prometh. 209:

ἐμοὶ δὲ μήτηρ οὐχ ἅπαξ μόνον Θέμις
καὶ Γαῖα, πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία.

Eadem sunt dicenda de Themide et Apolline; nam illa ipsa, ut Apollo edidisse oracula et omnes Jovis „θέμιστας“ administrasse fertur. Qua de re conferenda est vasis imago, de qua Gerhardus dicit in libello, qui inscribitur: das Orakel der Themis Berlin 1846. cf. Welcker a. Denk. II, 325. Wieseler Denk. II, 947. cf. Ahrens, über die Göttin Themis, Schulnachrichten des Lyceums zu Hannover 1862 u. 1864. cf. Diod. V, 67, 4: *Θέμιν δὲ μυθολογοῦσι μαντείας καὶ θυσίας καὶ θεσμοὺς τοὺς περὶ τῶν θεῶν πρώτην εἰσηγήσασθαι καὶ τὰ περὶ*

---

1) Neptuno ante Apollinem natum etiam Delum insulam fuisse, Servius (ad Aen. III, 73: „haec primo Neptuno et Doridi fuit consecrata“) commentatus est.

τὴν εὐνομίαν καὶ εἰρήνην καταδεῖξαι. — Et fuerunt oracula, quae ab ea edita esse veteres ipsi declarant (cf. Aesch. Prom. 209. 871. Pind. Isthm. VII, 32. Ovid. Met. IV, 603). Quae cum versu, quo epici poetae utebantur, condita essent, hunc a Themide esse inventum duxerunt. cf. Clem. Alex. Strom. I, 80: *ἔτι φασι τὸ ἡρῶον τὸ ἑξάμετρον Φανοθέαν τὴν γυναῖκα Ἰκαρίον, οἱ δὲ Θέμιν μίαν τῶν Τιτανίδων εὑρεῖν.* Accedit, quod, ut fama ferebat, Themis Apollinem modo editum nectare et ambrosia aluit atque „*θέμιστας*“ Jovis docuit. cf. Hom. hym. in Apoll. Del. 123—24. Orph. hym. LXXIX, 16. Quibus sic expositis satis mihi demonstrasse videor, veteres Themin non modo cum Jove, verum etiam cum Apolline, qui in primis „*θέμιστας*“ Jovis administraret, arcte conjunctam fuisse existimasse eamque causam fuisse, cur dea Delphis summo studio coleretur. cf. Aesch. Eum. 2. Eur. Iphig. Taur. 1259. Orestes 164, quo loco tripodem Apollineum ipsum Themidi fuisse narratur Apollod. I, 41. Strabo IX, 646. 47. Ovid. Met. I, 321. IV, 643.

Praeterea autem nobis demonstrandum est, quo modo fieri potuerit, ut Neptunum et Apollinem inter se conjunctos esse putaretur. Qua in re explicanda ante omnia monendum est, a Cretensibus, apud quos cultus Apollinis Delphinii vigebat, fanum Delphicum, ut fama est, conditum esse (cf. Hom. hym. in Apollinem. Hoeck, Creta III, 479. L. Preller, Berichte der sächsischen Ges. der Wissensch. 1854. p. 19 seq.). Cretenses autem ab usitata perceptaque cognitione Apollinis ita dissentiebant, ut eum veterem deum marinum, qui procellas mareque gubernet, nautisque faveat et lucis deum, qui nubes procellasque pellat serenumque coelum praebeat, arbitrarentur. cf. Eur. Hel. 1454 seq. Apollon. 4, 933. Quam ob rem Apollini Delphinio ea loca fuisse sacra, quae in mare eminent, promontoria, scopuli, insulae, fluminum ostia, nemo est, qui miretur. cf. Hom. hym. in Apoll. Del. 144. 145. Curtius in dissertatione de Ionibus p. 16 seq. et 35. — Plut. de sollert. anim. 36.

Videmus igitur, quae propria sunt Apollinis et Neptuni, ea in unum Apollinem Delphinium collata esse. Quin etiam haud raro accidit, ut, cum alterius sacra magis procurarentur, alter

deus ab altero pelleretur. Velut in Taenaro promontorio Apollo summam habebat venerationem (cf. Strab. VIII, 374.); postea, sacris Apollinis omissis, Neptunum summo studio esse cultum constat. cf. Paus. III, 25. 4. Huc etiam pertinet, quod, ut Pausanias narrat, Neptunus cum Sole de Corintho certasse dicitur. cf. II. 16.

Hic fuit deus, cujus sacra Cretenses Delphos transtulerunt. Sed sensim sensimque factum est, ut Delphis opinione Apollinem esse deum marinum obscurata talis esse deus putaretur, qui literis artibusque faveat et oracula patris edat. Quam in rem conferre licet vasis imaginem, quam Gerhardus in publicum edidit in libello, qui inscribitur: über die Lichtgottheiten auf Kunstdenkmälern, Abhandlungen der Berliner Academie 1840. Taf. 1. 3. In qua Apollo est effictus, ut, cum delphini ex aqua exsiliunt, tripode alis instructo trans mare vehatur et lyra canat. — Apollinem autem non amplius deum marinum cogitatum esse Delphis, id fabula illa significatur, qua Neptunum suam partem oraculi Delphici pro Calauria Apollini dedisse narratur.

Quae cum ita sint, fortasse quis miretur, quo modo fieri potuerit, ut posteriore tempore in templo Apollinis ara Neptuni esset, in qua sine dubio sacra facta sunt. Haec res ita explananda est, ut Graecorum mos esset, ut sacra dei alicujus numquam ab altero pelli deberent. Etsi enim novus deus majorem venerationem adipiscebatur, quam is cui antea locus quidam fuerat, hunc sua sacra semper habere opus erat. Velut Neptunus, quamquam ad Minervam patrocinium Athenarum translatum erat, tamen sua sacra habuit, quae in Erechthei cella certis diebus semper fiebant. cf. Boetticher Tekton. IV, 113. Hunc ad cultum, qui Neptuno Delphis erat, revocandi sunt loci hi: Aesch. Eum. 27:

Πλειστοῦ τε πηγὰς καὶ Ποσειδῶνος κράτος
καλοῦσα καὶ τέλειον ὕψιστον Δία.

Eur. Ion. 446:

συ (Ἀπόλλων) καὶ Ποσειδῶν Ζεὺς θ' ὃς οὐρανοῦ κρατεῖ
ναοὺς τίνοντες ἀδικίας κενώσετε.

cf. Gerhard auserles. Vasen tab. 175.

Deinde in cella fuisse duarum Parcarum simulacra Pausanias narrat; loco tertiae efficta erant simulacra Jovis Moeragetae et Apollinis Moeragetae cf. X, 24. 4. Plut. de *E* apud Delph. 2: *τὸ δύο Μοίρας ἵδρυσθαι πανταχοῦ τριῶν νομιζομένων.* — cf. Aesch. Eum. 172:

παλαιγενεῖς δὲ Μοίρας φθίσας.

Parcarum quidem simulacra in templo Apollineo fuisse mirari non possumus. Parcas enim ipsas, quas Hesiodus theog. 901. filias Jovis et Themidis fuisse tradit, ut Themin matrem, Jovis „θέμιστας" administrasse constat. cf. Schoemann zur Theogonie p. 132. Arctissima igitur necessitudine conjunctas fuisse cum Apolline ipso, quem in primis Jovis prophetam fuisse demonstravimus, nemo non videt. De Jove Moerageta cf. Paus. V, 15. 5. VIII, 37. 1. Preller griech. Myth. I, 415.

Duas autem Parcas in templo Delphico effictas fuisse, id quod Plutarchus miratur, nihil miri habet, cum ante omnia ad homines aut nascentes aut morientes pertinuisse eas opinio esset. cf. Welcker, über die Mören und Parzen in seiner Zeitschrift für alte Kunst I, p. 220.

Postremo addendum est, artis opera, in quibus imagines Parcarum videmus, fere omnia posteriori aetati esse adscribenda, cum deae propter gravitatem benignam materiem fictoribus non praeberent. cf. Wieseler, Denk. I, 44. II, 921—25. II, 441. 840 838a, I, 405, II, 858. I, 120f.

Deinde in cella fuit solium ferreum, in quo Pindarus sedens carmina sua, quibus Apollinem celebraret, cecinisse fertur. Paus. X, 24. 5.

Denique in cella fuisse aram Pausanias narrat X, 24. 4, in qua Neoptolemus a sacerdote Apollinis interfectus esse dicitur. cf. Overbeck, Gallerie heroisch. Bildwerke I, p 745—47. Quam aram, quae ab aliis quoque scriptoribus commemoratur (cf. Wieseler, Fleckeisen Jahrb. l. c p. 680. 81), non eandem esse, quae „κοινὴ ἑστία" nominabatur, Wieseler argumentis munivit firmissimis. Dicit enim, aram, quae „κοινὴ ἑστία" nominabatur, non in cella, sed in adyto positam fuisse atque diversam esse, ab ea, quam in cella fuisse Pausanias tradit. cf.

Annali dell' inst. di corresp. arch. vol. XXIX 1857; intorno all' omfalo Delfico. Recension von Merian's Topographie von Delphi. Basel 1853. und J. Kayser: Delphi. Darmstadt 1855. in Jahn's Jahrb. 75 p. 678.

Quoniam de cella eisque rebus, quae in ea fuisse traduntur, diximus, restat, ut de adyto, tertia templi parte pauca dicamus. Qua in re ante omnia monendum est, templum Delphicum longe aliter institutum fuisse atque cetera templa. Id enim, quod illud ab his differebat, erat oraculum, quod in adyto fuisse constat (Boettícherus, Tekt. IV, 301 seq.). Quae templi pars, qua ratione a cella separata fuerit, inter doctos homines discrepat. Pausanias enim, qui hac de re nihil tradidit, adytum quod *τοῦ ναοῦ τὸ ἐσωτάτω* X, 24. 5 nominat, nihil aliud, nisi appendicem, ut ita dicamus, cellae habuisse videtur. Quum autem Euripides (Andr. 1142—43)

πολλοὶ δ' ἔπιπτον μεγάδες ἔκ τε τραυμάτων
αὐτοὶ θ' ὑφ' αὑτῶν στενοπόρους κατ' ἐξόδους [1])

commemoret, ostium adyti fuisse angustum, cellam ab adyto muro sive pariete, non velo, id quod Ulrichsius p. 84 judicat, separatum fuisse elucet. Unum autem ostium adyti fuisse multis locis allatis idem demonstrat p. 79 seq. De reliquis, quae ad structuram adyti pertinent, quod ex naturali antro et aedificio manu facto constitisse constat, elegantissime disputavit Wieseler (Jahns Jahrb. l c. p. 690).

Postquam haec de adyto praefati sumus, nunc ad res, quae in eo erant, describendas aggredimur. Ac primum quidem Pausanias X, 24. 5., quem de adyto nihil tradidisse nisi verba:

---

1) Wieseler errasse mihi videtur, cum (Jahn's Jahrb. l. c. p. 686) verba „στενοπόρους κατ' ἐξόδους" non ad adyti, sed cellae ostium referri vult. Nam Neoptolemus, postquam in adyto ab Delphis petitus (cf. Andr. 1114. 1119.) in cellam recessit (1120), armis ex poste januae, qua adyti ostium operiebatur, arreptis (cf. 1121: *καὶ παραστάδος κρεμαστὰ τεύχη πασσάλων καθαρπάσας*) juxta aram, quam in cella fuisse supra demonstravimus, resistens, hostes, qui angusto ostio eliduntur atque exanimantur, in adytum repellit; deinde impetu repetito Neoptolemus ad aram illam interfectus est.

„ἐς δὲ τοῦ ναοῦ τὸ ἐσωτάτω παρίασι τε ἐς αὐτὸ ὀλίγοι καὶ χρυσοῦν Ἀπόλλωνος ἄγαλμα ἀνάκειται“ dolemus, in hac templi parte fuisse simulacrum Apollinis aureum narrat. Hoc ad signum, quod posteriores quoque scriptores commemorant (cf. Lobeck, Aglaoph. p. 572. Boetticher Tekt. IV, p. 318) revocandum esse artis opus, quod R. Rochettius in publicum edidit, verisimile est. cf. mom ined. pl. XXXII, 2. Mus. Borb. vol IV, t. 9. Deinde etiam conferendi sunt nummi aliquot, in quibus imago simulacri illius servata videtur esse. cf. Wieseler Denk. II. 134. Berliner Blätter für Münz-, Siegel- und Wappenkunde Bd. V. Taf. XVI. n. 8. Cohen méd. IV. tab. XIV. Wieseler Supplementband zu den Denkmälern Bd. II. Taf. I. n. 4.

Tum plures lauri in adyto fuerunt. Quod quidem quamquam a multis criticis (cf. Ulrichs p. 106 u. 107), qui judicant, coronis solis vel ramis laureis adytum fuisse ornatum, in dubium revocatum est, auctoritate scriptorum et vasorum firmatur. cf. Wieseler l. c. p. 683—89. Pausanias enim, ut jam supra commemoratum est, primum templum Delphicum ex lauris factum esse narrat. Sequitur, ut lauri circa oraculum fuerint, quas cum templum, de quo agimus, exstrueretur, delere nefas erat. Praeterea autem eorum, quae contendimus, auctor est Euripides. In fabula enim, quae Ion inscribitur, Mercurium ita dicentem facit: 76—80: ἀλλ' ἐς δαφνώδη γύαλα βήσομαι τάδε
τὸ κρανθὲν ὡς ἂν ἐκμάθω παιδὸς πέρι,
ὁρῶ γὰρ ἐκβαίνοντα Λοξίου γόνον
τόνδ' ὡς πρὸ ναοῦ λαμπρὰ θῇ πυλώματα
δάφνης κλάδοισιν.

Verba „δαφνώδη γύαλα“, quae plures arbores significant, ad nihil aliud, nisi ad adytum pertinere, nemo, qui verba accuratius perlegerit, non videbit. Neque enim Mercurium, qui oraculum, quod in adyto solo edebatur, auditurus esset, in laureculum templo vicinum abiisse potest putari et Ionem, qui egreditur, ramos laureos in templo, ubi habitabat, defregisse, necessarium erat.

Si ea, quae modo diximus, recte sese habent, id quod dubitari nequit, verba quoque (v. 116) „κήπων ἐξ ἀθανάτων“ ad

lauros, quas in adyto fuisse putamus, non ad alias esse referenda facile intelligitur. Nam ut jam supra commemoravimus, vetustissimum templum Delphicum ex lauris, quae ex Tempe allatae esse dicebantur, factum esse fama ferebat. Quarum laurorum, quae neque vetustate neque incendio, quod superius templum consumpserat, deletae essent, ramos „κήπων ἐξ ἀθανάτων“ ortos esse ab Euripide pulcherrime dici, quis est, qui non videat?

Alter locus Euripideus, quo quod contendimus, firmatur, invenitur in Andromachae versu 1114:

τῷ δὲ ξιφήρης ἄρ' ὑφειστήκει λόχος δάφνῃ σκιασθείς.

et vers. 1118. 1119:

Οἵ δ' ὀξυθήκτοις φασγάνοις ὡπλισμένοι
κεντοῦσ' ἀτευχῆ παῖδ' Ἀχιλλέως λάθρα.

Quum enim Delphi, qui Neoptolemum interficere sibi proposuerant, sub laureis ramis delituisse narrentur, in adyto, ubi rem gestam esse supra vidimus, non unam solum laurum, sed lauretum fuisse verum esse significasse satis est.

Denique eorum, quae Aristophanes (Plut. 212) dicit, mentio facienda est:

ἔχω τίν' ἀγαθὴν ἐλπίδ' ἐξ ὧν εἶπέ μοι
ὁ Φοῖβος αὐτὸς Πυθικὴν σείσας δάφνην.

Quae ad verba scholiasta adnotat: φάσιν, ὡς πλησίον τοῦ τρίποδος δάφνη ἵστατο, ἣν ἡ Πυθία, ἡνίκα ἐχρησμῴδει ἔσειεν. cf. Wieseler, Jahn's Jahrb. p. 687.

Deinceps de vasis est dicendum, in quibus adytum fere semper ita est effictum, ut laurum quoque videamus. Dicet fortasse quispiam, cum Apollini omnino sacra esset laurus, ei rei nihil argumenti esse tribuendum. Sed eos, qui rem ita sese habere putent, non recte judicare, demonstrari facile potest. Nam, ut alia omittam, hac in re imago illa in vase efficta, quam Maisonneuvius peint II, 67. et maximam partem Boetticherus Baumcultus fig. 2. exprimendam curaverunt, quam contemplemur, digna videtur esse. Quod artis opus ita factum est, ut praeter omphalum et tripodem, quibus rebus adytum significari infra demonstrabimus, laurum taeniis et tabulis votivis, quae formam habent diptichorum, instructam conspiciamus. Quibus re-

bus cum eas solas arbores ornatas fuisse, quae sedes deorum esse putabantur, constet, quin laurus illa eodem modo culta in adyto, sede propria Apollinis, fuerit, dubitari nequit. cf. Boetticherus l. c. p. 39 seq. Ne autem mirum videatur, in artis operibus plerumque unam, raro plures lauros repraesentatas esse, artifices antiquos saepe plures res efficta una significasse, omnes artis antiquorum non imperiti perspectum habent.

Alia argumenta, quibus laurum in adyto fuisse demonstretur, Boetticherus l. c. p. 346, 347 attulit, quamquam vir doctissimus hac de re in magna inconstantia versari mihi videtur. Scripsit enim p. 346: Kein Wunder, wenn so ein Apollinisches Orakel ohne Lorbeer gar nicht zu denken, wenn keine Apollinische Geomantie ohne ihn möglich ist; denn aus dem Lorbeer fliesse die Erdoffenbarung, sagen die Alten, und die Sage von der aus dem Erdschlunde emporgesprossenen Daphne weist sehr schön auf diese reine und geläuterte Divinationskraft des Lorbeers hin. Aus dem oben Gesagten erklärt sich denn auch die Unerlässlichkeit dieser Pflanze bei allem, was nur an Apollinische Verkündigungen oder an Handlungen erinnert, die in seinem Dienste ausgerichtet werden; es erlosch mit Recht auch die Kraft des Orakels, als der delphische Lorbeer zur Zeit des Julianus Apostata verschwand."

Quae cum ita sint, in adyto unam vel plures potius lauros fuisse nobis persuasum est, quamquam extra templum alias quoque singulas in peribolo exstitisse concedimus. Velut Pindarus Pyth. VIII, 19 laurum *ποιὰν Παρνασίδαν* nominat. cf. Rangabê, antiq. hell. II, 327.

Porro in adyto fuit tripus ille, in quo Pythia vaticinandi causa sedebat, de quo tripode diligentius disputavit Wieseler in dissertatione quam inscripsit: über den delphischen Dreifuss. Quem tripodem super illo terrae hiatu positum esse et quidem eo consilio, ne Pythia, quam vapore, qui ex eo escendebat, concitari fama ferebat, in eum incideret, Diodorus narrat. XVI, 26. Prope Pythiam autem sacerdotes Delphici sedebant, qui dei responsa litteris mandata eis, qui oraculum consultum ierant, referebant. cf. Eur. Ion. 414—16:

ἡμεῖς τὰ γ' ἔξω, τῶν ἔσω δ' ἄλλοις μέλει.
οἳ πλησίον θάσσουσι τρίποδος, ὦ ξένε,
Δελφῶν ἀριστῆς, οὓς ἐκλήρωσεν πάλος.

cf. Plut. de def. orac. 51.

De hujus tripodis origine fabularum scriptores haec referunt: A piscatoribus Milesiis aureum tripodem ex mari esse tractum. Quibus oraculum Delphicum consulentibus, quid de illo facerent, deum respondisse, hominum sapientissimo tripodem esse dandum. Piscatores igitur oraculum secutos, tripodem septem illis obtulisse, hos autem hunc tam magnum honorem recusasse. Quo facto Solonem consilio perspecto eum Apollini Delphico esse consecrandum censuisse. cf. Plut. vit. Sol. 4. Tripodem vero Delphicum, quem a regibus Lydicis dedicatum esse verisimile est (cf. Wieseler l. c. p. 11) priore aetate aureum vel inauratum fuisse tradunt Euripides (Iph. Taur. 1253:

ὦ Φοῖβε, τρίποδι ἐν χρυσέῳ θάσσεις)

et Aristophanes (Plut. 9:

θεσπῳδεῖ τρίποδος ἐκ χρυσηλάτου),

quamquam eum, quo Pythia posteriore tempore utebatur, ex aere factum esse constat. cf. Wieseler l. c. 13. Quanta autem auctoritate tripus ille fuerit, ex eo perspicitur, quod ab poetis sacer et toti Graeciae communis nominatur. cf. Eur. Ion. 91: *τρίπους ζάθεος*, 512: *τρίπους ἱερός*, 386: *τρίπους κοινὸς Ἑλλάδος.*

Postremo id nobis addendum est, Wieselerum l. c. 19—23 non errasse, cum, quamquam ipse in adyto plures tripodes, qui in anathematum numero habendi sint, positos fuisse probavit, contra alios criticos (cf. Boetticher, Grab des Dionysos, Petersen, das Grab und die Todtenfeier des Dionysos in v. Leutsch phil. XV, Bursian, Geographie von Griechenland p. 77), ibi duos tripodes eosque pari sanctitate et auctoritate, quorum unus ad Apollinis, alter ad Bacchi cultum pertinuerit, fuisse neget. Idem (l. c. 15) tripodem neque pelle anguina opertum, id quod usque ad hoc tempus credebatur, neque Pythonis vel Bacchi sepulcrum esse habendum optimo jure contendit. Rationes enim, quibus

sententia nititur, graviores sunt, quam ut dubitari possit, quin recte conjecerit

Porro fontem in adyto fuisse nonnulli scriptores commemorant. Quem nullum alium esse, nisi eum, qui Cassotis nominabatur, ex Pausaniae verbis elucet. X, 24. 7: *ταύτης τῆς Κασσοτίδος δύεσθαί τε κατὰ γῆς λέγουσι τὸ ὕδωρ καὶ ἐν τῷ ἀδύτῳ τοῦ θεοῦ τὰς γυναῖκας μαντικὰς ποιεῖν.* cf. Plut. de def. orac 50, de Pyth. orac. 17. Verba etiam Euripidea (Ion. 118): *ἵνα δρόσοι τέγγουσ' ἱεραὶ ῥυτὰν ἀέναον παγάν.* nostra quidem sententia huc revocanda sunt. Praeterea autem est conferendum oraculum illud, quod imperatori Juliano datum esse fertur:

εἴπατε τῷ βασιλῆι· χαμαί πέσε δαίδαλος αὐλά
οὐκετε Φοῖβος ἔχει καλύβαν (Wieseler: *κελεβάν*) *οὐ μάντιδα δάφνην*
οὐ παγὰν λαλέουσαν, ἀπέσβετο καὶ λάλον ὕδωρ.

cf. Ulrichs, l. c. p. 82. 105. 106. Boetticher Tekt. 4, 58. Anm. 11.

Quibus locis satis superque demonstratur, Bursianum errare, qui (l. c. 177, Anm. 1) fontem in adyto fuisse neget et verba Pausaniae ita intelligi velit, ut statuat aqua Cassotidis in hiatum terrae effusa vaporem natum esse, quo Pythia ad vaticinandum concitaretur. Nam verba scriptoris „*τὰς γυναῖκας μαντικὰς ποιεῖν*" ad id pertinent, quod Pythia, antequam tripodem ascenderet, aquam fontis illius bibebat.

De imaginibus tripodis Delphici conferendus est Wieseler l. c. p. 47.

Restat, ut anquiramus, utrum in adyto „*ἑστία*" et illa „*κοινὴ ἑστία Ἑλλάδος*" et omphalus fuerit necne. Recentioris enim aetatis plurimi critici de hac re ita judicaverunt, ut non in adyto, sed in cella et „*κοινὴν ἑστίαν*" et omphalum, quem ad Terram referunt, fuisse contendant [1]. Sed ante paucos annos Wieseler

1) Excepto Boetterhero, qui in dissertatione, quam inscripsit „der Omphalus des Zeus zu Delphi, Berlin 1858." omphalum in media cella, „*ἑστία*" in opisthodomo statutam esse suspicatur atque illum ad Jovem referri vult.

in dissertationibus, quas jam supra enumeravimus, illos errasse atque „*κοινὴν ἑστίαν*" et omphalum, insigne Vestae, in adyto fuisse gravissimis argumentis firmavit. Quam sententiam alii eique docti homines probaverunt, alii veram esse negant, in his Preunerus in libro praestantissimo, quem inscripsit: Hestia-Vesta p. 128 seq. Itaque operae pretium me facturum duxi, si de eis, quae litterarum artisque monumentis hac de re tradita sunt, denuo anquirerem, quidque sentirem, proferrem.

Pausanias quidem (X, 16. 3. *τὸν δὲ ὑπὸ Δελφῶν καλούμενον ὀμφαλόν λίθου πεποιημένον λευκοῦ, τοῦτο εἶναι τὸ ἐν μέσῳ γῆς πάσης, αὐτοί τε λέγουσιν οἱ Δελφοί καὶ ἐν ᾠδῇ τινὶ Πίνδαρος ὁμολογοῦντά σφισιν ἐποίησε*) omphali inter anathemata, quae ante templum posita fuisse jam vidimus, mentionem facit. Quae res est causa, cur Thierschius (Jahrb. der Münchener Academie 1840 p. 32) omphalum non in templo ipso, sed inter statuas in vestibulo positas jacuisse judicavit. Cui opinionem similem habuit O. Muellerus (Aesch. Eum. p. 101), qui Pindari et Aeschyli aetate omphalum in adyto fuisse, sed inde ablatum a Pausania prae templo spectatum esse suspicetur (cf. Dissen zu Pind. Pyth. IV, 4). Sed haec res aliter sese habere videtur. Postquam enim in ea, quae antecedit, paragrapho, Pausanias notabilem formam, qua fuerit crateris basis ab Alyatte donati, descripsit, omphalum commemorat, nulla causa adductus nisi similitudine, quae inter formas basis et omphali intercedebat. cf. Ulrichs l. c. p. 77. Quam rem ne quis miretur, hoc unum illi loco simillimum exemplum afferam, quod apud eundem Pausaniam invenitur X, 18. 6. Dicit enim anathema, quod singulari opere artificioque perfectum Tisagoras dedicaverit, summa admiratione dignum esse habendum. Quo dicto eum, qui leonis et apri capita Pergami servata, quae et ipsa ex ferro singulari arte fabricata sint, viderit, admiratione non minore imbui addit. Scriptorem igitur ut hoc loco artis, ita illo formae similitudine, ut res disjunctissimas maximeque diversas locorum ratione neglecta enumeraret adductum esse nemo non videt.

Quae cum ita sint, omphalum prae templo positum fuisse nulla re cogimur, ut credamus.

Deinde autem nonnulli Aeschylei loci de situ omphali sunt conferendi. Quorum primus invenitur in Eumenidum versibus 39—43, ubi poeta Pythiam ita dicentem facit: *ἐγὼ μὲν ἕρπω πρὸς πολυστεφῆ μυχόν·*

ὁρῶ δ' ἐπ' ὀμφαλῷ μὲν ἄνδρα θεομυσῆ
ἕδραν ἔχοντα προστρόπαιον, αἵματι
στάζοντα χεῖρας καὶ νεοσπαδὲς ξίφος
ἔχοντ' ἐλάας θ' ὑψιγέννητον κλάδον.

Quibus cum verbis conferas velim Choeph. 1034 seq.:

καὶ νῦν ὁρᾶτε μ' ὡς παρεσκευασμένος,
ξὺν τῷδε θαλλῷ καὶ στέφει προςίξομαι
μεσόμφαλον θ' ἵδρυμα Λοξίου πέδον
πυρός τε φέγγος ἄφθιτον κεκλημένον
φεύγων τόδ' αἷμα κοινόν· οὐδ' ἐφ' ἑστίαν
ἄλλην τραπέσθαι Λοξίας ἐφίετο.

Priore quidem loco Pythiam, quae ante templum deos invocaverat, re vera ad „*πολυστεφῆ μυχόν*" i. e. ad adytum pervenisse omnes, qui non praejudicata opinione ducuntur, concedent. Nam poetam, si Pythiam non adiisse adytum ipsum, sed, id quod nonnulli voluerunt, adituram fuisse atque itinere non jam peracto Oresten in cella omphalum amplectentem conspexisse voluisset significari, praesenti tempore usum scripsisse: „*ἐγὼ μὲν ἕρπω πρὸς πολυστεφῆ μυχόν*" quis est qui credat? Accedit, quod in versibus, qui sequuntur (47 et 48)

πρόσθεν δὲ τἀνδρὸς τοῦδε θαυμαστὸς λόχος
εὕδει γυναικῶν ἐν θρόνοισιν ἥμενος

sellarum mentio fit, quas in adyto fuisse demonstravit Wieseler (Jahns Jahrb. 75 p 678). Verba igitur Aeschylea non aliter nisi ita intelligere possumus, ut omphalum, in quo Orestes a Pythia sedens conspicitur, in adyto fuisse sumamus. Sed poeta reliqua narrationis parte explanat, Orestem, cum in omphalo sedisset, „*ἕδραν προστροπαῖον*" obtinuisse. Quamnam rem significare vult? Quae verba sine dubio ad nihil aliud, nisi ad **a r a m** pertinere, ad quam omnino homines fugitivi refugiebant cujusque perfugio Orestes quoque usurus erat atque usus est, satis apparet. cf. Choeph. 1035 et 1039:

προσίξομαι μεσόμφαλόν θ' ἵδρυμα Λοξίου πέδον
οὐδ' ἐφ' ἑστίαν ἄλλην τραπέσθαι Λοξίας ἐφίετο.

Eum. 576:

ἔστι γὰρ νόμῳ
ἱκέτης ὅδ' ἀνὴρ καὶ δόμων ἐφέστιος ἐμῶν.

Itaque cum Orestem in adyto et juxta omphalum et in ara sedisse poeta dicat, omphalum, id quod Wieseler vult, in ara positum fuisse, quin credamus, facere non possumus. Sed ex verbis, quae Aeschylus (Choeph. 1037 *πυρός τε φέγγος ἄφθιτον κεκλημένον*) exhibet, id quoque apparet, aram, quam in adyto fuisse statuimus, „*κοινὴν ἑστίαν*" esse judicandam, in qua ignis semper altus esse traditur. cf. Plut. Num. 9. Aristid. XX, de *E* ap. Delph. 2.

Preunerus quidem nulla causa allata fortissime firmasse satis habet, Orestem cum ad omphalum refugisset, simul in ara sedisse, ex verbis Aeschyleis colligi non posse.

Alter locus Aeschyleus, qui ad rem, de qua agimus, spectat invenitur in eadem fabula. Furiae enim ad Apollinem loquuntur haec verba (v. 169):

ἐφεστίῳ δὲ μάντις ὢν μιάσματι
μυχὸν ἔχρανας.

Quibus verbis lectis quis est qui dubitet, quin Orestis scelus in adyto ab Apolline expiatum sumendum sit? Nam verbum „*μυχός*" ad nullam aliam templi partem pertinere nisi ad adytum, neminem, qui neget fore spero. Ulrichsius ipse, quamquam omphalum et aram in cella fuisse censet (cf. l. c. 80), nihil ab nostra opinione dissentit. Quod si ita est, fieri non potuit, ut adytum „*ἐφεστίῳ μιάσματι*" violaretur, nisi ibi „*ἑστίαν*" fuisse ponamus. Itaque mirum est, quod Preunerus ex illis versibus omphalum et aram in adyto fuisse negat concludi posse, sed nullo argumento allato cellae illas res sacras esse tribuendas contendit. Duae quidem res, ara et omphalus, ibi locum ut habuerint ex loco Aeschyleo nos quoque efficere nolumus, tamen aram in adyto fuisse luculentissime elucet. Quae si ibi fuit, sequitur, ut omphalum et ipsum, quem in ara jacuisse demonstravimus, in una eademque templi parte, id quod Preunerus quoque non negat, fuisse pro certo habendum sit.

Tertium locum praebent ejusdem fabulae versus 179—80; Apollo enim Furiis hoc modo respondet:

ἔξω, κελεύω, τῶνδε δωμάτων τάχος
χωρεῖτε, ἀπαλλάσσεσθε μαντικῶν μυχῶν.

Quae verba quamquam critici neglexerunt, ad id, quod ostendi volumus, summi momenti esse ex eis, quae modo diximus, apparet

Denique versibus 280—84 sententiam, quam defendimus, juste defensam esse firmatur. Orestes enim suum scelus ab Apolline ad aram esse expiatum narrat:

βρίζει γὰρ αἷμα καὶ μαραίνεται χερός
μητροκτόνον μίασμα δ᾽ ἔκπλυτον πέλει.
ποταίνιον γὰρ ὂν πρὸς ἑστίᾳ θεοῦ
Φοίβου καθαρμοῖς ἠλάθη χοιροκτόνοις.

Aram quidem, quae hoc hoco commemoratur, eandem non esse, ad quam Orestem refugisse supra vidimus, nihil habemus, cur putemus. Sequitur, ut Orestes a Furiis agitatus ad omphalum et aram, quam in adyto fuisse satis superque demonstravimus, refugerit atque in eodem loco expiatum sit, quidquid matre interfecta irarum in eum deorum fuit.

De locis Aeschyleis hactenus; liceat ex Euripide etiam unum locum pro testimonio afferre, qui invenitur in fabulae, quae Ion inscribitur, versibus 220—230:

Ch. *σέ τοι τὸν παρὰ ναὸν αὐδῶ.*
θέμις γύαλων ὑπερβῆναι λευκῷ ποδί βαλόν;
I. *οὐ θέμις, ὦ ξέναι.*
Ch. *οὐδ᾽ ἄν ἐκ σέθεν ἂν πυθοίμαν;*
I. *αὔδα, τί θέλεις;*
Ch *ἆρ᾽ ὄντως μέσον ὀμφαλόν*
γᾶς Φοίβου κατέχει δόμος;
I. *στέμμασι γ᾽ ἐνδυτὸν, ἀμφὶ δὲ γοργόνες* [1])
Ch., *οὔτω καὶ φάτις αὐδᾷ,*
I. *εἰ μὲν ἐθύσατε πέλανον πρὸ δόμων*

1) Hoc loco non Γοργόνες, sed γοργόνες scribendum et ad taenias, referendum esse Wieseler com-
quibus omphalum fuisse ornatum constat,
pluribus locis ostendit, quem secutus est Augustus Nauckius in editione novissima Euripidis tragoediarum.

καί τι πυθέσθαι χρῄζετε Φοίβου
πάριτ᾽ εἰ θυμέλας, ἐπὶ δ᾽ ἀσφάκτοις
μήλοισι δόμων μὴ πάριτ᾽ ἐς μυχόν.

Mulieribus enim Atheniensibus exteriorem templi partem contemplatis Ion interrogatus, liceatne „*βαλὸν γυάλων*“ transgredi, non licere respondit Sed cum ex eo rursus quaerant, sitne in templo omphalus, affirmat dicens eum taeniis vittisque esse ornatum. Quidnam ex his verbis intelligitur? Primum apparet, mulieres, quae omphalum spectare cupiunt, putare, eum intra „*γύαλα*“ esse, deinde, cum Ion dicat, quid eis faciendum sit, ut „*μυχὸν δόμων*“, i. e adytum, introire liceat, verbum „*γύαλα*“ ad adytum esse referendum.

Quibus explanatis nullo modo dubitari potest, quin omphalus in adyto fuerit. Quae res clarius etiam illustrabitur, ubi nonnulli alii loci, qui et eidem huc pertinent, comparaverimus.

Pindarus quidem Pyth. IV, 4. Pythiam „*χρυσέων Διὸς αἰετῶν πάρεδρον*“ fuisse narrat. Sequitur, ut is, qui integre judicat, Pythiam in tripode sedentem et oracula edentem prope aquilas, quas in omphalo effictas esse constat, versatam nec porta parieteque separatam fuisse, existimet. Accedit, quod aquilas ab extremis terrae partibus ad medium volatu tendentes super antro convenisse fabulabantur. Apparet, imagines earum intra eum locum, quo convenisse dicebantur, fuisse positas.

Denique huc pertinet locus, qui apud Diodorum invenitur (XVI, 56). Scriptor enim narrat, sacrilegos Phocenses, qui in templo opes quaererent, „*τὰ περὶ τὴν ἑστίαν καὶ τὸν τρίποδα*“ fodisse. Quae verba ad unum eundemque locum esse referenda atque aram prope tripodem in adyto fuisse ex eis intelligi posse, omnes, qui opinione praejudicata non ducuntur, nobis concedent. Preunerus tamen in eis auctoritatem inesse negat ac sentit, cum Diodorus proximis verbis tantum „*τὰ περὶ τὸν τρίποδα*“ memoraverit, huic loco nihil esse tribuendum argumenti. Sed si accuratius eum examinaverimus, sacrilegos ob id ipsum in adyto opes quaesivisse videbimus, quod Homerus earum mentionem fecisset his verbis:

οὐδ᾽ ὅσα λάϊνος οὐδὸς ἀφήτορος ἐντὸς ἐέργει

Φοίβου Ἀπόλλωνος Πυϑοῖ ἐνὶ πετρηέσσῃ.

Quid autem verba „*λάϊνος οὐδός*“ significant nisi adytum,
quippe quod veterrimam fuisse templi partem atque posteriore
aetate pro thesauro usurpatum fuisse constet? cf. Steph. Byz.
s. v. *Δέλφοι.* Baumeister hym. Hom. p. 518. Quod autem
Diodorus priore loco „*ἑστίαν*“ commemorat, secundo omittit,
non sine causa fecisse videtur. Nam terrae motum, cujus men-
tio fit, eo ipso tempore ortum esse, quo praedones circa tripo-
dem fodiebant, atque a scriptore hac de causa aram non esse
commemoratam verisimillimum est.

Restat, ut nonnullas alias res, quibus id, quod ostendere
volumus, affirmetur, addamus. Ac primum quidem id non obli-
viscendum est, omphalum a scriptoribus posterioris temporis se-
pulcrum modo Pythonis modo Bacchi habitum esse, id quod fieri
non potuisset, nisi lapis ille, cum nullo modo cum cella con-
juncti fuissent, in adyto fuisse creditus esset. cf. Varro ling.
lat. VII, 18. Tatian. c. Gr. VIII, 251. Wieseler, Jahn's Jahrb.
l. c. p. 680. Deinde autem id non parvi est momenti, quod
Pausanias, qui in adyto non fuisse videtur (cf. X, 24. 4), in
enumerandis rebus, quae in cella erant, omphalum, qui quam
gravis esset, sine dubio non ignorabat, non enumerat. cf. Wie-
seler, Gött. gel. Anz. 1860, p. 184.

Quibus expositis et „*κοινὴν ἑστίαν*“ et ignem sempiternum
et omphalum non in cella, sed in adyto fuisse satis superque
demonstratum est. Nam si contra contendunt Strabo (IX, 3):
Δείκνυται δὲ καὶ ὀμφαλός τις ἐν τῷ ναῷ et scholiasta ad Lu-
cianum (de saltat. 38): *ἐν Δελφοῖς λέγουσιν ὄμφαλον εἶναι ἐπὶ*
τοῦ ἐδάφους τοῦ νεῶ, Wieseler (Gött. gel. Anz. 1860 p. 183)
id quod Preunerus non negat, nihil auctoritatis eis dandum esse
probavit.

Ea, quae scriptores de arae et omphali loco tradiderunt,
praeclarissime affirmantur vasorum imaginibus. Huc pertinent
omnes, in quibus Orestes repraesentatur, qui in Apollinis tem-
plo auxilium contra Furias et sceleris expiationem petit. cf.
Overbeck, Gallerie heroischer Bildwerke tab. XXIX. Jahn, Va-
senbilder tab. I. Wieseler Denk. II, 148 et Supplem. tab. K.

N. 4. Stephani, compte-rendu pour l'année 1863, tab. VI, 5.

In his enim imaginibus Orestem ita effictum videmus, ut
modo morem eorum secutus, qui auxilium et expiationem pe-
tunt, sed aram, modo ad omphalum taeniis ornatum, qui modo
in solo ipso, modo in ara positus est, profugiat. Preunerus
quidem, cum imagines, de quibus agitur, inter se diversissimae
sint, concludit, quo loco omphalus fuerit, omnino non certe esse
traditum (p. 131). Sed nobis verisimile videtur in diversitate
imaginum inesse argumentum, quo id, quod volumus, affirmetur.
Nam fieri non potuisse, quin vasorum pictores interdum ara,
quam significare plurimum intererat, omissa omphalum loco ejus
pingerent, nisi ambae res, ara et omphalus, et in una eademque
templi parte positae et summa necessitudine conjunctae fuissent,
omnes intelligunt. Praeterea autem Preunerus silentio praete
riit, ea vasa, quae majore diligentia facta sunt, ita comparata
esse, ut omphalus in ara jaceat atque Orestes in hac sedens
illum amplectatur. cf. Aesch. Eum. 40. 41.

Quum igitur dubitari non possit, quin ara et omphalus in
uno eodemque loco fuerint, quaerendum est, quaenam templi
pars fuerit. Quas Boetticherus (Omphalus des Zeus zu Delphi
p. 15) ex vase, quod Jahnius (l. c tab. I.) in publicum edidit,
efficere voluit, ut in cella fuisse existimandum sit. Dicit enim,
Ionica capitula, quibus in illo vase templum instructum est, ad
cellam esse referenda [1]). Sed quamquam cellam Ionicis colum-
nis fuisse ornatam supra diximus, tamen ei, quam habet Boet-
ticherus, opinioni assentiri non possumus. Quum enim illi picto-
res, ut mos erat illa aetate, picturarum penitus cognoscendarum
operam navare soliti non sint, sed nihil aliud nisi templum, do-
mum, nympheum et quae sunt similia suas cogitationes secuti
in universum depingere voluerint, ex formis, quibus vasorum
pictores in templo Delphico effingendo utebantur, quale re vera
templum fuerit, intelligi non potest. Sed Ionica capitula, quae
in illis vasis spectantur, adhibita sunt, propterea quod illud ca-

1) Ab illo quoque pictore, qui vas ab Stephanio (l. c.) editum fecit,
templum Delphicum Ionicis columnis ornatum est.

pitulorum genus ea aetate, qua vasa, de quibus agitur, comparata sunt, fuit usitatissimum. cf. Stephani l. c. p. 263.

Videmus igitur ex eo, quod in illis vasis cellae a pictoribus Ionica capitula tributa sunt, id concludi non posse, quod Boetticherus voluit; sed aliae res, tripus et laurus, quae in plurimis vasis efficta spectamus, in adyto aram et omphalum fuisse certe testantur. Cum enim tripodem et laurum in adyto fuisse supra demonstratum sit, ara et omphalus, quas res prope illas aspicimus, quin ibi fuerint, dubitari non potest.

Postremo quid omphalus significet, disserere non opus est. Nam cum omphalum in ara positum fuisse, ad eum ut ad aram ipsam Orestem profugisse et auxilium expiationemque quaesivisse, eum ut Vestam deam (cf. Preller gr. Myth. I, 328. Stephani l. c. 1860. tab. II.), pro medio universae terrae loco habitum esse constet, lapidem illum neque ad Jovem, sed ad ignem Vestae sacrum esse revocandum, id quod Wieseler primus disputavit, cui non probabile videtur [1])? Denique in memoriam redigendum est, omnes criticos Rossio excepto judicasse, templum Delphicum fuisse „*ὕπαιθρον*", id quod Wieseler de adyto singulariter probavit. cf. Jahn, Jahrb. 75 p. 676.

Sed inter aedificia, quae intra sacrum peribolum fuisse feruntur, praeter templum Apollinis [2]), quod commemoretur, dignum est theatrum. cf. Paus. X. 32. 1: *τοῦ περιβόλου δὲ τοῖ ἱεροῦ θέατρον ἔχεται θέας ἄξιον.* Quibus ex Pausaniae quidem verbis theatrum intra peribolum fuisse non elucet. cf. Thiersch. l. c. p. 60. Quum autem inscriptionem (cf. Boeckh. C. I. 1710:

1) Omphalo significari ignem maxime arae, idcircoque non modo Vestae, sed etiam Vulcano tributum esse, idem nuperrime demonstravit. cf. Nachrichten der königl. Ges. der Wiss. zu Göttingen 1872. N. 7.

2) Intra sacrum peribolum alia templa non fuisse et apud Diodorum (XXII. 9. 5. ed. Dindorf) „δυεῖν ἑδῶν" pro „δυεῖν νεῶν" esse scribendum Wieseler satis clare ostendit in commentatione, quam inscripsit: „die delphische Athena", Göttinger Studien 1845, p. 201. 250. cf. Jahn, Jahrb. l. c. 666.

τίθεμαι τὴν ὠνὴν ἐγχαράξασα εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Πυθὶου Ἀπόλλωνος εἰς θέατρον. cf. E. Curtius, anecdota Delph. p. 6.) pro testimonio habeamus, qua theatrum intra peribolum fuisse affirmetur, verisimile est, illud eadem ratione, qua theatrum Bacchi Atheniense scimus, esse exstructum. cf. Wieseler, Jahn Jahrb. l. c. p. 672.

IV.

Restat, ut de singulis quibusdam rebus nondum commemoratis pauca afferamus. Ac primum quidem a Pausania X, 12. saxi cujusdam mentio fit, de quo Herophile, veterrima Sibyllarum, quam a Musis in Helicone monte educatam fama ferebat, oracula edidisse tradebatur. cf. Plut. de Pyth. orac. 9. Clem. Alexand. Strom. I. p. 304. Cic. divinat. I, 36: „terrae vis Pythiam Delphis incitabat, naturae Sibyllam." Imagines quidem, quae ad Hierophilen referri possint, non exstant. Nam figuram muliebrem in gemma et in nummo effictam (Wieseler Denk. II, 134c et 134e) ad Sibyllam illam pertinere, id quod nonnulli existimaverunt, argumentis probabilibus non fulcitur.

Deinde in peribolo fuit lapis non magnus, quem Saturnus pro Jove, filio partu edito, devorasse atque illo loco evomisse fertur. cf. Paus. X, 24. 6. Hes. theog. 498. Hic lapis, qui in numero eorum habendus est, qui „*βαιτύλιοι*" sive „*βαίτυλοι*" nominantur (cf. L. Boesigk de Baetyliis, Berlin 1854. Creuzer, Symbolik IV, 639) quotidie oleo unguebatur et diebus festis taeniis vittisque ornabatur. cf. Wieseler, Denk. II. N. 804.

Tum etiam intra peribolum Apollinis alter minor peribolus fuit, qui Neoptolemi sepulcrum continebat. Paus. X. 24. 6. Strab. IX, 3. p. 281. Neoptolemus enim, ut Pindarus (Nem. VII, 40 seq.) narrat, cum Delphico deo anathemata oblaturus venisset, rixa de carne victimae exorta, ab Delpho quodam interfectus est. Sed alii scriptores tradunt (cf. Paus. I. 13. 8. X. 24. 4. Eurip. Andr. 1147), Neoptolemum, cum Delphos profectus esset, ut ab Apolline poenas repeteret templumque ornamentis privaret, quia deus Parim, cum Achillem interfecturus esset, juvasset, Pythiae jussu cecidisse. Cujus fanum in primis

ab Aenianibus colebatur, qui Pythiis splendidas pompas hostiasque opimas Delphos mittebant. cf. Heliod. Aeth. II. 34 seq.

Denique notandum est, haud procul ab templo Apollinis fuisse fanum Musarum, quod Plutarchi quidem aetate jam non exstabat. cf. Plut. de Pyth. orac. 17.

Ea, quae diximus, sufficere videntur, ut ostendamus, fanum Delphicum Apollinis omnium antiquorum fuisse gravissimum; sed vos, viri doctissimi, quaeso, hoc opusculum cum indulgentia et benevolentia accipiatis.